11922/B

B. XXI. 25

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30518891


IOHAN: IAC: BAIERVS PHIL: ET MED: D: ET PROF: PRIMAR: IN ACAD: ALTORF: EIVSD: IN PRIMO IVBILÆO RECTOR, SOCIET: IMP: N: C: ADIVNCTVS.
Nat. Ienae A. C. 1677. d. 14 Iunii.
M. Rösler ſculpſit. 1728

IO. IAC. BAIERI
BIOGRAPHIAE PROFESSORVM MEDICINAE
QVI IN ACADEMIA ALTORFINA VNQVAM VIXERVNT

SINGVLORVM AERE EXPRESSIS ICONIBVS ADDITIS.



NORIMBERGAE ET ALTORFII
APVD HÆREDES IO. DAN. TAVBERI
A. R. S. cIↄ Iↄccxxviii.

71301

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

REVERENDISSIMO
ATQVE
CELSISSIMO
S. R. I. PRINCIPI
AC
DOMINO
DN. CHRISTOPHORO
FRANCISCO
EPISCOPO VVIRCE-
BVRGENSI
FRANCIAE ORIENTALIS
DVCI

PRINCIPI AC DOMINO
MEO CLEMENTISSIMO

VITAM ET FELICITATEM!

REVERENDISSIME
CELSISSIMEQVE
PRINCEPS AC DOMINE,
DOMINE CLEMENTISSIME.

Permitte, quaeſo, PRINCEPS OPTIME, ut in CONSPECTVM TVVM CLEMENTISSIMVM omnes ſimul Anteceſſores et Collegae mei, quorum uitas hoc in opuſculo recenſui, mecum ueniant: non quod indigeas tot Medicorum conſilio; utpote qui inter caeteras

uirtu-

uirtutes, CELSISSIMAM PERSONAM TVAM cumulate exornantes, propriam TIBI pridem feciſti illam, ſecundum naturam temperantiaeque regulas uiuendi prudentiam: ſed ut huius quaſi totidem teſtes adducam, qui eodem plane gradu reuerentiae colerent EMINENTISSIMAM DIGNITATEM TVAM, ſi quidem uiuis ac praeſentibus eſſe ipſis liceret, quemadmodum mihi nuper licuit, indigno quantumuis, coram admirari TANTVM PRINCIPEM. Eſt uero alia quoque cauſa, quae alliceat nos ad ſplendidiſſimum ſolium TVVM; iſta nempe ſingularis munificentia, qua ſeorſim Medicinae ſtudium in Vrbe et Academia Tua, non modo ſubditis et incolis, ſed et aliunde aduentantibus, eiusdem Artis Cultoribus, quam commodiſſimum iucundiſſimumque reddidiſti; ut exemplo eſſe debeat aliis *Germaniae Principibus et Academiarum Nutritoribus*, quod imitarentur. Verum tamen haec fortaſſe minima

eſt maximorum meritorum TVORVM particula, quam aeſtimare nos quodammodo ualemus. Propter reliqua autem, ſupra laudem poſita, diuinam remunerationem, proſperrimam ualetudinem, ope medica rarius egentem, diuturnum non minus quam pacatum regimen, et quicquid inſuper ad felicitatis TVAE faſtigium conducere poterit, communibus omnium bonorum uotis accedens, animo deuoto comprecor

REVERENDISSIMAE CELSITVDINI TVAE

ſubiectiſſimus

Io. Iac. Baierus.

LECTORI BENEVOLO
S.

Habes hic tandem, promiſſas dudum Biographias, *ſed ne nunc quidem pro uoto meo ſatis perpolitas. Tametſi enim ad aliquarum compoſitionem abunde ſuffecerit materia, in aliquibus tamen conquirendis maiorem inueni difficultatem, quam ab initio futuram putaueram. Taceo, quod ad uitas quorundam, nuper defunctorum, partimque ſuperſtitum* Dnn. Collegarum *pertinentia momenta, licet mature expetita, aut plane non, aut nimis ſero ſuppeditata mihi fuerint. Praecipuum uero perfectioris elaborationis impedimentum attulit ualetudinis et negotiorum meorum aduerſa conditio, per hoc tempus, quo urgenda erat opuſculi editio: quandoquidem ſubinde morbo ipſe tentatus, tum et aegrorum curandorum frequentia diſtractus adeo ſaepe ſum, ut raro decem lineas, ſine moleſta interpellatione, in chartam coniicere potuerim. Quare multa mihi, relegenti, iam diſplicent, tum in ordine tractationis, paſſim minus accurate obſeruato, tum etiam in ſtylo, ſaepius confuſo, ac ſeorſum propter inelegantem earundem*

)( )(*phra-*

*phraſium, breuibus interuallis, repetitionem, uitupe-
rando; qui ſane fructus ſunt deproperati turbulentique
laboris. Huius quoque culpa fit, ut accedere nequeant,
quae colligere iam coeperam, per ſingulas fere Vitas,*
Paraleipomena, *nunc uero in aliam occaſionem, fortaſſe
non admodum longe remotam, reſeruare cogor. Inte-
rim hoc pro certo affirmare poſſum, quod ſicuti de
praecipuis rebus, ad cuiusque curriculi uitae ſummam
neceſſariis (quantum quidem earum inueſtigare licuit)
praetermiſerim nihil, ita diligenter cauere uoluerim,
ne falſa quaedam narrata immiſcerentur. Quod
ideo etiam commemoro, ne, ſi quis forte in* Lexico Eru-
ditorum Virorum, *lingua uernacula diuulgato, lege-
rit,* THOMAM REINESIVM aliquando fuiſſe apud
Nos Medicinae Profeſſorem, *cum eiusdem uita inter
noſtrates non extet, hinc opinaretur, magnum me
commiſiſſe in omittendo errorem. Etenim plane nul-
lum ueſtigium in* Annalibus Academiae, *aut alibi re-
perire potui, quod optimus ille Vir unquam inter Can-
didatos publici apud nos officii, nedum inter ipſos Pro-
feſſores extiterit. Caeterum de* Iconibus *adiectis hoc
tantum admoneo, eas ſingulari curioſitate, ab indu-
ſtrio et de re literaria bene merente Viro,* IO. FRIDER.
ROTHSCHOLZIO *conquiſitas eſſe, et maiori ex parte
ſic ſatis feliciter repraeſentare Viros, quorum nomina*

ſubſcri-

ſubſcripta ſunt ; etiamſi hoc de cunctis aſſerere non auſim. Mea autem imago, quae huic opuſculo praefixa cernitur, paulo plus habere ſimilitudinis mihi uidetur, quam caeterae omnes hactenus (nolente uolente me) a diuerſis artificibus effictae, ipſa etiam Preisleriana *non excepta; quamuis haec reliquis exiſtat ſpecioſior, et iuſto maiori certe pretio redimenda mihi fuerit. Ad ipſum uero praeſens opuſculum ut tantiſper reuertar, non dubito, quin attentus et curioſus Lector inuenturus in eo ſit* errata *non pauca, ſiue a memet ipſo per feſtinationem, ſiue a Typographo admiſſa. Pro illorum excuſatione liceat mihi adducere, accuratiſſimi alias in ſcribendo Viri, magnique Critici,* CASP. HOFMANNI *noſtri, ſententiam* (*) : Vocabulorum Varietatem ſcire Medicum liberale eſt : at ſi errantem uel in genere, uel in numero, uel in declinatione reprehendere quis uelit, PAEDAGOGVS ſit. *Tanto faciliorem ueniam merebuntur* Typographica, *quorum aliqua inter relegendum notata hic ſubiicio, et, quod ſupereſt,* Lectorem beneuolum *ualere iubeo.*

)( )(2 CORRI-

(*) Lib. II. de Medicament. officinal. cap. XCI.

Corrigenda.

Pag. 8. lin. 8. leg. *uideatur.* p. 19. l. 13. leg. *politicis.* p. 20. l. 8. leg. *uinarium.* p. 30. l. 3. leg. *accommodato.* p. 57. lin. 30. pro *cui* leg. *quo.* p. 66. l. 11. leg. *Conſiliario.* p. 82. l. 15. leg. *inquirere.* p. 146. lin. ult. leg. *Medico-clinicae.* p. 149. l. 23. leg. *Aliquod.* p. 150. lin. 10. leg. *ἰατρικὴν.* p. 151. l. ult. leg. *magno.* p. 158. l. 12. leg. *differre.* p. 161. l. 17. leg. MERCKLINO. p. 161. l. 29. poſt Virginem, add. IVLIANAM MARIAM BARBARAM. p. 162. l. 8. leg. *alumnus.* p. ead. lin. penult. leg. *promtam.* p. 163. lin. 23. leg. *Ratisbonam.* p. 174. l. 7. leg. *Candidati.* p. 177. l. 20. pro *ſuo* leg. *ſui.*

Bericht an den Buchbinder, wo ein jedes Bildnüß hingehört.

1. Nicolaus Taurellus *pag.* 1
2. Philippus Scherbius 15
3. Erneſtus Sonerus 26
4. Caſpar Hofmannus 36
5. Georgius Noeſslerus 66
6. Ludouicus Iungermannus 80
7. Mauricius Hoffmannus 93
8. Chriſtophorus Nicolai 112
9. Iac. Pancratius Bruno *pag.* 116
10. Io. Maur. Hoffmannus 129
11. Io. Ludouicus Apinus 141
12. Io. Iacobus Baierus. 147. *oder auch gleich vor den Titul.*
13. Laurentius Heiſterus 177
14. Io. Iacobus Iantke 178
15. Io. Henricus Schulze 182

NICOL.



NICOLAUS TAURELLUS,
Mompelgardenſis,
Medicinæ D. et P. P. in Academia Altdorfina
ab A.º 1581.
Nat. d. 26. Nov. A. 1547. Denat. d. 28. Sept. A. 1606.

W. P. Kilian fecit



NICOL. TAVRELLVS.

INclytae NORIMBERGENSIVM REIP. MODERATORES prudentiſſimi, poſteaquam in opido ſuae ditionis ALTORFIO, auſpicatum Muſis domicilium condiderunt, praeter humanitatis et Philoſophiae ſtudia, Medicinae etiam docendae rationem habuerunt. Iſto tam laudabili conſilio NICOLAVS TAVRELLVS Baſilea euocatus eſt, ut ipſe primus tam Philoſophiam naturalem, quam Medicinam publice profiteretur. Patriam habuit Montbelgardum, VVurtembergae Ducibus ſubiectum, haud ignobile opidum. In hoc ille natus anno 1547. patre, honeſto quidem ſed mediocri fortuna uiro, qui complures annos Poligrammatei munere ibidem functus fuit. Is cum nimios uitare ſumptus, et tamen filium in coepto ſtudiorum curſu progredi uellet, oblatam ab optimo et munifico Principe D. GEORGIO, *Comite Montpelgardenſi*, conditionem grato animo accepit, ut nempe filius, inter decem ſtudioſos, ex pio et aequo foenore aliquot millium florenorum, quae Princeps teſtamento legauerat, ſuſtentaretur. Tubingae igitur annos ſex eo beneficio, ſaepe etiam D. CHRISTOPHORI, *Ducis VVurtembergenſis*, benignitate adiecto auctario, ſatis educatus

eſt liberaliter. Praeceptorem coluit inprimis IAC. SCHEGKIVM, eo tempore ſummum Philoſophum et Medicum clariſſimum, cuius doctrinae perpetuo addictus fuit, ad ipſamque ab initio ſtudii ſui Philoſophici ſe aſſuefecit, eo quidem lubentius, quod non Tubingae modo, uerum etiam in aliis omnibus Germaniae ſcholis obſeruaretur atque uigeret. Inde liberalium Artium et Philoſophiae lauream A. 1565. aſſecutus, aliquanto poſt, certis de cauſis, a ſtudio, cui primum erat deditus, Theologico deſciſcere conſtituit, atque cognatorum ſuorum ope impetrauit, ut cui uellet alii Facultati ſe addiceret. Medicinam ergo ſibi delegit; cumque anno illius ſeculi LXX. ad gradum in hac arte ſupremum eſſet euectus, altero deinceps anno, prudenti quorundam conſilio conſtitutum erat, ut FRIDERICO, *VVurtemb. Duci*, adiungeretur, ea inprimis diligenter obſeruaturus, quorum ad Principis ualetudinem ratio eſſet habenda. Sed irritum hoc infectumque reddidit, neſcio quis, ſat quidem inanis Theologorum metus. Tametſi autem graue id fuit TAVRELLO, tulit tamen, ut res ipſa poſtulabat, aequo animo, nec interea, uel de obſeruantiae ſtudio in optimum Principem ſuum, uel de amore in Academiam Tubingenſem, utpote quae rebus ſuis prima dederat incrementa, quicquam remiſit. (*) Fatis interea cedendum eſſe ratus, Baſileam ſeceſſit, mox Profeſſorum Medicinae adſcriptus ordini, in quo etiam *Decani* munere perfunctus, A. 1580. quatuor eius Facultatis Doctores creauit. Exacto ibi triennio, factum eſt, ut THEODORVS ZVVINGERVS a Morali ad Medicam Profeſſionem nolens uolens protraheretur, in eiusque locum TAVRELLVS ſubſtitueretur. Quod quidem Ethices ſtudium eiusmodi uidebatur, in quo ſeipſum potuiſſet oblectare plurimum, ſi modo, quae olim ab optimo et doctiſſimo uiro SAMVELE HAILANDO praeceptore ſuo Tubingae didicerat, ea diligenter repetere et excolere uoluiſſet. At uero medicae meditationes, in quibus erat exercitatior, dimittendae fuiſſent. (**) Rebus ita Baſileae conſtitutis, forte accidit, ut liberali ſtipendio *Altorfium* inuitaretur. Diuinam hac in re

(*) Haec hactenus pleraque ex dedicatione *Alpium caeſarum ipſius Taurelli* uerbis relata ſunt.

(**) Vid. dedicatio *methodi medicae praedictionis.*

in re prouidentiam agnoſcens huc ſe contulit d. VIII. Octob. anni, quem modo dixi LXXX. Munus ergo ſuſceptum decenti grauitate et induſtria, tam docendo quam ſcribendo, tum et Medicinam faciendo per quinque luſtra ſuſtinuit. Ad eruditionem TAVRELLI quod attinet, omnia eius ſcripta (quorum poſtea catalogum dabimus) teſtantur, eam fuiſſe ſolidam et elegantem. Ingenio magno et acerrimo praeditus, parua corporis ſtatura, hinc anſam dedit ludendi Poëtae cuidam:

Corpore taurellus, taurus at ingenio.

ambigua ſane et parum urbana iocatione! Caeterum genere ſcribendi uſus eſt graui ac ſententioſo, attamen perſpicuo, rebusque propoſitis accommodato. Neque humaniores muſas ignorauit aut neglexit, ſed quam familiares ſibi eas reddiderit, *Emblematum Phyſico-Ethicorum*, uario poemate illuſtratorum eleganti opere cumprimis declarauit, in quod extat CVNRADI RITTERSHVSII encomiaſticon carmen, cuius aliquam partem hic inſerere non erit alienum.

TAVRELLVS, linguaque diſerta et pectore acuto,
Accipit ac reddit, per docta uolumina fundens,
Poſteritas magno quae non legat absque ſtupore,
Diuitis ingenii flumen mirata benignum.
Hic nunc maius opus per amica ſilentia noctis
Peruigil extornat, caeſas et perpolit Alpes,
Magno et Ariſtoteli dicta atque indicta reuoluit,
Illuſtri Sophiam ſtatuens in luce uidendam:
Nunc paullum a tanta rerum grauitate remittens,
Nata interque manus Emblemata ſuauia fingens,
Per luſus doctos lectorem ad ſeria ducit.
Quisquis es, ore faue; et ſeu ſeria ſcripta reuoluas
TAVRELLI, genium mirere et texta laboris
Ardua: ſiue oculos animumque ad ludicra flectas,
Magna etiam paruis, dic, conſtat gratia rebus.

Magno autem (ſicut ipſe (*) ſatetur) labore ac ſtudio conſcripſit, quaecunque ſibi publice proferenda eſſe uidebantur; ut, ſi res ferret, non in hac modo, ſed in aliis compluribus Academiis, ſi non auditoribus, tamen lectoribus earum rerum ſtudioſis non minimum prodeſſet. Libere uero et candide ſcripſit, modeſte tamen: Dum enim eos minime probauit, qui nihil produnt aliud, quam quod ab aliis acceperint, et qui nec autorem ſibi propoſitum, nec eius interpretes ullo uerbulo notare audent: ita nec eorum ferocitas TAVRELLO placuit, qui potius in perſonas conuiciis et calumniis inuehuntur, quam ut in rebus propoſitis ueritatem ſyncere ſectentur, qui res etiam bene dictas in alium ſenſum contorquent, ita ut ueritas ex iſtorum hominum odio damnum ferat. In Philoſophia ducem praecipue ſecutus eſt ARISTOTELEM, in Medicina GALENVM, ut fere tunc moris erat inter eos, qui eruditi uolebant haberi, aut alios erudire laudabiliter conabantur. Et de *Ariſtotele* quidem TAVRELLVS l. c. profitetur, *quod magni eum, imo maximi fecerit: ſed, ſi quicquam ſit maius maximo, ueritatem Ariſtoteli praeferendam eſſe iudicauerit; ut tantum tribuatur Ariſtoteli, quantum ipſa fert ueritas, non autem uice uerſa, tantum ueritati tribuatur, quantum cenſuerit Ariſtoteles.* Quare fieri non potuit, quin aliquando receſſerit ab ARISTOTELE. Hanc uero audaciam ſuam excuſandam putauit exemplo praeceptoris ſui SCHEGKII, qui idem, licet rarius fecerit, et nihilominus Peripateticorum princeps ſua aetate exiſtimatus fuerit. Idem quoque uiſum ueteribus Philoſophis, qui mente perſpicaciore et animo fuerint ſynceriore, quorum in numero primas obtinuerit GALENVS. Itaque cenſuit TAVRELLVS, ſi magnum tueri liceat ARISTOTELEM, nequaquam tamen hanc ſibi eſſe iudicii libertatem detrahendam, ut non libere philoſopharetur. Huic fundamento ſuperpoſita ſunt pleraque ſcripta eius philoſophica, *Triumphus* ſcilicet *Philoſophiae*, *Alpes Caeſae*, ac *de Rerum aeternitate diſſertationes.* Ea ipſa philoſophandi libertate multorum offendit animos, quorum tunc plurimi, caeco nimis obſequio autoritatem ARISTOTELIS tuebantur. Ipſe SCHEGKIVS, poſtquam legiſſet illum *Philoſophiae triumphum,*

(*) in dedicatione *libelli de uita et morte.*

phum, in hanc fere ſententiam TAVRELLO reſpondit. (*) *Ingenium tuum probo, ſed quod aduerſus Ariſtotelem id exercueris, non probo: petere hoc eſt oculi pupillam.* Excuſauit tamen auctoris audaciam, eius cauſſam feruori tribuens iuuenili. Neque uero is in hoc negotio per aetatem factus eſt meticuloſior, ſed ſtrenue perrexit; quamvis non dubitauerit, ſi Peripateticis adhaerere uoluiſſet, et idem ſapere, quod plerique omnes, quin maiori cum quiete et ſecuritate, maiori etiam ſuo commodo emergere potuiſſet. Odioſum enim eſſe nouerat, quicquid, cum a paucis probetur, quamplurimis aliis aduerſum ſit. Maluit tamen conſcientiae ſuae conſulere, quam magnum ex aſſentatione nomen acquirere, uel rem augere domeſticam. Quamuis enim intentiſſimis ſane meditationibus ſuis id aſſecutus ſibi uideretur, quod nequaquam deceret aſpernari, ſi non inuentae, ſaltem exquirendae ueritatis gratia: eo namque labor omnis directus fuerat, editi *Philoſophiae triumphi*, ut ingenia ſtudioſorum diligenter in rebus etiam grauiſſimis exercerentur: Animum tamen exitus ipſe fefellit, ut nihil fere promeritus auctor fuerit, quam ut multorum calumniis et inſultationibus exponeretur. Hic titulum contumelioſe uellicauit: ille ſtylum riſit minus elegantem: nec pauci fuerunt, quos res nequaquam intellectas carpere non puderet. (**) Quidam, exagitatae tunc admodum doctrinae, PETRI RAMI, aſſeclam temere cenſuerunt, adeoque famoſo *Ramiſtae* titulo exoſum reddere conati ſunt. Quin aliquis apertiſſime iniuriam TAVRELLO faciens, *nihil eum credere*, dixit, *et Turca deteriorem eſſe.* (***) Et talia quidem ipſe adhuc inter uiuos expertus eſt TAVRELLVS, magnoque animo ſuſtinuit fortiter; ſed neque mortuo pepercit male intelligentium aut interpretantium liuor, qui communiter poſt fata quieſcere dicitur. *Heidelbergenſes* etenim *Theologi* in literis ad Deputatos Synodi Holland. ſuper libro et cauſſa CONR. VORSTII perſcriptis, TAVRELLVM pronunciarunt *atheum medicum*, quorum tamen audaciam merito redarguit GISBERTVS VOETIVS *Diſput. ſelect. Tom. I.* p. 200.

(*) in epiſt. dedicat. dicti libri fol. 4.

(**) vid. praefat. methodi med. praedict. fol. 5.

(***) vid. Triumph. Philoſ. p. m. 213.

p. 200. Alia aliorum benigniora et aſperiora de TAVRELLO iudicia expoſuit Vir Clariſs. IAC. FRID. REINMANNVS, *hiſt. literar. German. part. IV.* p. 89. qui etiam praecipua eius dogmata et paradoxa metaphyſica ibidem erudite recenſuit. Potiſſimum autem, quod *Peripateticae Philoſophiae ſectatores* offenderat, hoc eſſe uidebatur, quod adeo animoſe bellum indixerit erroribus ARISTOTELIS, et ingenue profeſſus ſit, (*) a prima iuuentute ſua perpetuo ſibi hoc propoſitum fuiſſe, ut errores patefaceret et refutaret, quibus *Ariſtotelicam* ſcatere uiderat *Philoſophiam*, et eos quidem maxime, qui noſtrae religioni Chriſtianae aduerſarentur, uti e *Triumpho Philoſophiae*, toties citato, inprimis apparet. Quodſi uero mihi liberum eſt aperire, quid de TAVRELLO ſentiam, cum haud perfunctorie omnia eius ſcripta, quotquot impetrare potui peruoluerim, ſicuti excellens et acre ingenium, ita ſubtile ſyncerumque iudicium Viri nusquam non deprehendi. Et optauerim ſane, ut aliquis cordatus uir, et ſanioris *Metaphyſicae* ſatis gnarus, tantum ſibi ſumeret laboris, ac ſine praeiudicio inquireret in iſta, quae TAVRELLO imputata ſunt hactenus paradoxa, uel etiam erronea, et quomodocunque *atheiſmum* redolentia dogmata, quorum ſane nihil ego quidem inuenire potui, propterea non ueritus idem pronunciare de ſcriptis TAVRELLI, quod alium quendam de libro alio iudicium tuliſſe conſtat; *quae intelligo, bona ſunt, credo etiam, quae non intelligo!* Minime omnium profecto perſuaderi poſſum, quod in Atheorum partes propenderit TAVRELLVS, qui tanta cum reuerentia de rebus diuinis prolocutus, tamque pio zelo *uanitatem Philoſophiae Paganae*, et contrarias religioni Chriſtianae Sacrarumque Literarum Oraculis opiniones impugnauit, ſingularemque in eo quaeſiuit gloriam, ut *Chriſtianae Philoſophiae ſtudioſum* ſe nuncuparet; quod tum ex aliis TAVRELLI lucubrationibus, tum ex ipſo inprimis titulo et praefatione *methodi medicae praedictionis*, aperte licet cognoſcere; unde non poſſum, quin uerba quaedam eius apponam: *Me ſibi totum CHRISTVS uendicat; nec ARISTOTELI quicquam attribuetur, niſi quod CHRISTVS ipſe conceſſerit, nec ſi quid obtulerit ARISTOTELES, id protenus excipiam,*

(*) in epiſt. dedic. *Lib. de rer. aetern.*

excipiam, niſi quod fuerit CHRISTO acceptiſſimum. Hoc Chriſtianae mentis exemplar eſt, quod ſcholis omnibus et Academiis propoſitum eſſe debebat. Videant igitur *innocentium* (ceu dici uolunt) *narrationum Auctores*, quibus argumentis confirmare uelint TAVRELLI pleraque annumeranda eſſe Atheorum ſcriptis. Sed bene eſt, quod iniquam cenſuram hancce iam exploſerint alii ſapientes uiri, quorum iudicia laudatus REINMANNVS adduxit; quibus etiam accedunt *Obſeruationes Philoſ. Halenſ.* Tom. X. Num. 9. Certe doctrinam TAVRELLI apud Italos etiam iuſtos aeſtimatores inueniſſe conſtat, tametſi contra CAESALPINVM, praecipui aetate ſua nominis inter ipſos uirum acri admodum ſtylo uſus ille fuerit. Vnum commemorare hic placet, quod ERNESTVS SONERVS ex ore Medici cuiusdam Veneti, de TAVRELLO ad eundem perſcripſit iudicium: (*) *Nihil unquam uidi ſubtilius aut accuratius ipſius Alpibus Caeſis; magni antea ipſum feci ex methodo praeſagiendi, quam miro ordine et ſingulari eruditione contexuit, VVECKERVM imitatus, ſed in Alpibus Caeſis uidetur ſubtilitate ſuperare ipſum quoque SCALIGERVM contra CARDANVM.* (**) Amicos habuit TAVRELLVS, inter eruditos clarosque uiros aeui ſui, non paucos, quamuis alicubi (***) confiteatur, quod cum ad literas ſcribendum non adeo facilis promptusque ſit, cauſſam hanc exiſtimet, ut amicos tot non habeat, quot habeant multi. Ex illorum autem numero fuerunt THEODORVS pater et IACOBVS filius ZVVINGERI, Profeſſores Baſileenſes, SIGISMVNDVS SCHNIZERVS Archiater Bambergenſis, DIONYSIVS GOTHOFREDVS ICtus, ANDREAS DVDITIVS, uir generoſae proſapiae, nec minoris eruditionis quam famae, RODOLPHVS GOCLENIVS, Phil. Prof. Marpurgenſis, cuius extat epiſtola ad TAVRELLVM, tractatui de rerum aeternitate praemiſſa,

(*) Vid. Ciſta medica *Hornungi* pag. 354.

(**) Eadem, multo poſt, ſententia Illuſtris LEIBNITIVS, in otio Hanoverano p. 141. pronunciauit, TAVRELLVM eſſe SCALIGERVM *Germanorum, huic nempe ſtylo, acumine, ingenio, libertate ſentiendi, medicinae profeſſione ſimillimum.*

(***) l. modo c. p. 356.

praemiſſa. In hac laudat GOCLENIVS diligentiam eius et in philoſophando libertatem, *quod noluerit Ariſtotelem pro norma ueritatis agnoſcere; quod erroneam cenſuerit ſententiam eorum qui exiſtimant mundum eſſe aeternum, uerum eſſe in Philoſophia, in Theologia falſum; nec Ariſtotelem aliter iudicare potuiſſe, quam mundum nunquam coepiſſe* etc. Vt taceam Collegas, inprimis CVNRADVM RITTERSHVSIVM, et alios TAVRELLO fauentes, quamuis SCHERBIVS paulo alienior ab eodem fuiſſe uideatut, fortaſſe propter nimis liberam ARISTOTELIS reprehenſionem. (*) Complures autem habuit conuictores, cum alios iuuenes honeſtos, tum equeſtris ordinis, Barones item atque Comites, quorum amorem et beneuolentiam ſuis officiis commeruit, quibus etiam ſingulis inſcripſit ac dedicauit *emblemata ſua*, ut eorundem adeo ſeries amplum ſatis catalogum exhibeat amicorum fautorumque TAVRELLI. Sed neque publica auctoritate caruit, utpote *Rectoris Academici* officio quater, *Decani Facultatis Philoſophicae* (quae unica tunc gaudebat Caeſareo priuilegio) ſaepius etiam laudabiliter perfunctus. De domeſticis TAVRELLI rebus ut nonnihil commemorem, in matrimonio primo duxit ornatiſſimam uirginem CATHARINAM, *Iſraëlis Aeſchenbergeri*, apud Baſilienſes Poligrammatei, et *Annae Kelleriae filiam.* Hic non alienum puto indicare *ſocrum* iſtam TAVRELLI, ſecundis nuptiis coniunctam fuiſſe IO. IAC. VVECKERO, Medico Colmarienſi celeberrimo, famamque conſecutam *libello de re coquinaria*, aegris praeſertim et imbecillibus adminiſtranda, edito, atque ita comprobato, ut aliquoties idem ſit recuſus. Ipſa uero poſt obitum utriusque mariti ſui habitauit apud filiam usque ad finem uitae, qui accidit anno 1596. cuius memoriam gratus celebrauit gener, carmine

(*) Idem enim clare apparet e IOH. CVNR. DVRRII epiſt. MSt. ad IAC. THOMASIVM, his uerbis: *Video requiri a te meum et noſtratium iudicium de TAVRELLO, ad id breuiter reſpondeo: Nomen eius uiri (praeſertim* ἀριστοτελομάστιγος) *dudum apud nos obliteratum eſſe*, utpote quod oppreſſit *non tantum fama immortalis* SCHERBII, *uerum etiam diſcipulorum* γνησίως *talium*, *PICCARTI et KOBII. Praeter ſcripta autem a te indicata habeo ego Synopſin Ariſtot. Metaphyſ. etc.*

mine funebri, emblematibus ſuis adiecto. Caeterum TAVRELLVS cum *Catharina* ſua per annos plusquam uiginti uixit in coniugio, tam ſuau quam foecundo, multorum ex ipſa liberorum pater factus, quorum quidem plures, aut infantes, aut pueri uita deceſſerunt, quemadmodum ex eleganti hoc poemate, (*) quo moeſtus parens defunctam prolem ſuam deplorauit, apparet:

Hic iacet ANNA, ſuo cui tempore ſedula noſtrae Baſil. an. 79. 16. Ianuar.
Eſſe putabatur cura futura domus.
At fera funebres mors hanc accerſere luctus
Iuſſit: ut hoc aliis prima pararet iter.
Poſtea tabeſcens alieno lacte IOHANNES Baſil. an. 80. 22. Sept.
ISRAEL miſere maluit ante mori:
Quam procul auulſos ad Norica tecta parentes
Nos deſiderio diſcruciare ſui.
Hos duo ſunt etiam fraterque ſororque ſecuti: Altorf. 81. 82.
Lucem quos uetuit poſſe uidere DEVS.
Attamen haec aliis lux eſt conceſſa duobus:
Noſter et ex aucto creuit amore dolor.
Morbosque ut poſſet uitare GEORGIVS omnes Altorf. an. 85. 31. Aug.
Hic uoluit moriens accelerare fugam.
Quem ſoror ANNA pari curſu CATHARINA ſecuta eſt: Altorf. 86.
Vt nos afficerent uitaque morsque minus.
At te noſter amor memorare Philippe Ioannes Altorf. an. 90. 11. Aug.
Cogit: et hic idem te memorare uetat.
Noſtrum nempe uetat uerbis renouare dolorem,
Vires qui nullas ut reuoceris, habet.
Quin hoc commemorem: ſi ſpes de fratribus unquam
Vlla tuis: de te magna Philippe fuit.
Cuique dedit patrium populi uictoria nomen: Altorf. 91. 3. Sept.
Non is qui longum uiuere poſſet, erat.
Quem cum ſeptenos complerat, et amplius annos,
Sat placide mortem iuſſit obire DEVS.

(*) in append. Emblematum.

Ipſa uero mater tot liberos ſecuta eſt anno 1598. ſingulari, cumprimis marito ſuo tum bonis omnibus, qui matronae uirtutes nouerant, deſiderio relicto. Qualis enim ea fuerit, intelligere licet ex programmate, *Magnif.* t. t. *Acad. Rectoris* ABRAHAMI BVRGGRAVII A DOHNA nomine publicato: *Laudes eius neque poſſunt breui hoc edicto capi, et notiſſimae clariſſimaeque ſunt. Adderemus tamen nos et hoc decus, ſi tam facile eſſet nobis antiquum morem, claras foeminas publice laudandi reuocare, quam illi proprium fuit antiquis moribus uiuere. Vera et ſimplex laudatio eſt, exemplum emendatiſſimum omnis muliebris decoris fuiſſe.* Superſtites reliquit utriusque ſexus liberos aliquot. Et filios quidem, *Ioh. Iacobum* et *Nicolaum Fridericum*, inſcripta ipſis emblemata parentis patefaciunt; filias uero tres ſuperfuiſſe, et unam ex iis, *Mariam Salomen*, A. 1622. *Stephano Deckero*, ciui ac mercatori Norimbergenſi nupſiſſe conſtat. Quo tandem filii peruenerint compertum non habeo. Maiorem natu tamen circa A. 1606. fuiſſe ephorum, Geneuae, duorum equeſtris dignitatis iuuenum, deinde Culmbaci aliquandiu, poſtmodum Caſſelis in Haſſia uixiſſe, ex literis quibusdam ipſius manu ſcriptis intellexi. Vt autem familiae ſuae denuo proſpiceret TAVRELLVS, alteram ſibi coniugem elegit generoſam uirginem VRSVLAM HALLERIAM *ab Hallerſtein*, Dn. MARTINI HALLERI, Senatoris et Scholarchae Norimb. filiam; quod matrimonium A. 1599. initum, an pariter foecundum fuerit, nequeo dicere, diuturnum certe non fuit, optimo nempe TAVRELLO, iubentibus ſic fatis A. 1606. d. 28. Septemb. dira peſte ex uiuis ſublato, eodemque ſtatim die ſepulto, ceu fieri ſolet in eiusmodi rerum humanarum ac temporum calamitate. PAVLVS FREHERVS narrat, quod cumprimum ex ancillis TAVRELLI quaedam lue correpta eſſet, ipſum metu perculſum aufugiſſe, mox tamen reuerſum, eodem letifero malo infectum eſſe. Longiori ſane uita et meliori fortuna dignus Vir ille fuit, qui omni labore et ſtudio ſuo, in ſubtiliori praeſertim Philoſophia, et ueritate colenda, multum quidem odii et inuidiae, parum autem lucri conſecutus eſt, ut poſt obitum ipſius res anguſta domi deprehenſa ſit, quemadmodum in *Annalibus Acad.* haud obſcura eius indicia ſuperſunt. Verum enim uero, praeter antea dicta, et amplitudo

familiae,

ſamiliae, et illorum temporum conditio, et Academiae, nondum ſatis ad diſciplinas ſublimiores adornatae ſtatus mediocris, difficiliorem TAVRELLO diteſcendi occaſionem dediſſe perſuadent; ut ſunt interdum eruditi uiri, nomine iſto ſatis infelices, dum ne promiſſa quidem ac debita ipſis praeſtantur; ceu noſtro contigit aliquando, cum, neſcio quam ſummam, pro *Alpibus caeſis* pepigiſſet cum *Palthenio*, Francofurtenſi bibliopola, hic uero ſeruare pactum renuiſſet, coactus eſt bonus ſenex eo ire pedes, et iure experiri cum homine; cuius iniquitatis CASP. HOFMANNVS (*) meminit, inſcius ipſe quid tandem itinere tam moleſto effectum ſit. Hoc ſaltem nos pie, nec perperam confidimus, TAVRELLVM faciliori meliorique prorſus euentu extremum confeciſſe iter, ac nimis aerumnoſae ſterilisque in hoc ſaeculo Philoſophiae ſuae, in altera beatiori uita optatum inueniſſe finem.

*

* *

SCRIPTA NICOLAI TAVRELLI EDITA.

1. Philoſophiae triumphus, hoc eſt metaphyſica philoſophandi methodus, qua diuinitus inditis menti notitiis, humanae rationes eo deducuntur, ut firmiſſimis inde conſtructis demonſtrationibus, aperte rei ueritas eluceſcat, et quae diu Philoſophorum ſepulta fuit authoritate, Philoſophia uictrix erumpat. Baſileae A. 1573. 8vo Arnhemii An. 1617. ead. forma.

2. Medicae praedictionis methodus, hoc eſt, recta breuisque ratio coram aegris praeterita, praeſentia futuraque praedicendi, morbos ſcilicet, morborumque cauſas, mortem, ſanitatem, recidiuam, aliaque ſymptomata. Francofurti A. 1581. 4to.

3. Theſes medicae de partibus humani corporis, Reſp. *Martino Sollfleiſch*; Altemburgenſi, A. 1583. 4to.

(*) Mantiſſ. Epiſtol. *Richter.* p. 522.

4. Annotationes in quoſdam libros *Arnoldi de Villa noua*, Baſileae An. 1585. fol. (*)

5. De mutatione rerum naturalium, theſes Phyſicae, Reſp. *Ioh. Ingolſtetter* Norimbergenſi, A. 1585. 4to.

6. De cordis natura et uiribus, theſes medicae, Reſp. *Georg. Sytſchio*, Strelenſi-Sileſio, A. 1585. 4to.

7. De uita et morte libellus, in quo primum, ex *Ariſtotelis* ſententia, uitae mortisque cauſae disquiruntur: Poſtea uero quaeſtionibus et propoſitionibus aliquot accuratius, et magis exquiſite, quid uita morsque ſint exponitur. Norimbergae 1586. 8vo.

8. De uentriculi natura et uiribus, theſes medicae, Reſp. *Io. Ingolſtettero*, Norimb. A. 1587. 4to.

9. De putrefactione, theſes Phyſicae, Reſp. *Io. Preiſegger*, Norimb. A. 1591. 4to.

10. Idea doctrinae peripateticae de anima, et uariis eius facultatibus atque operationibus. Reſp. *Paulo Toſſano*, Montargenſe. A. 1591. 4to.

11. De naturalibus facultatibus corporis humani, theſes, Reſp. *Ioach. Oelhafio*, Dantiſcano, A. 1594. 4to.

12. Emblemata Phyſico-Ethica, hoc eſt Naturae morum moderatricis picta praecepta, uario conſcripta carmine. Norimbergae 1595. 8vo. Secunda editio, ibidem A. 1602. (**) Accedunt carmina funebria, quae magnorum aliquot clarorumque uirorum memoriae dicauit autor.

13. The-

(*) Libri iſti, in quos extant animaduerſiones *Taurelli*, numerantur in uniuerſum XV. Ipſae uero commentationes non ſunt continuae et aequales, interdum perbreues ac paucae, nonnunquam copioſiores, ut in primum Aphor. Hippocr. ubique autem eruditae ſatis et argutae.

(**) Praefatio ſane eruditiſſima, emblematicae doctrinae rationem et uſum oſtendit. Noua autem editio, ultra priorem XXXII. emblemata, imaginibus expreſſa continet, tum et carminum funebrium amplam acceſſionem. Caeterum oppoſitae ſingulis Emblematibus paginae ideo uacuae ſunt relictae, ut uſitato etiam nunc more, Academicis Studioſis, ad colligenda et adſcribenda fautorum et amicorum nomina inſeruire poſſent. Exemplar eiusdem libelli multis autographis Clariſſ. Virorum, olim exornatum, et amplius a me locupletatum, Bibliothecae noſtrae Academicae aliquot abhinc annis dedicaui.

13. Theſes de ortu animae, Reſp. *Stanislao Iurgeuicio*, Polono. A. 1596. 4to.

14. Alpes caeſae, hoc eſt, *Andreae Caeſalpini*, Itali, monſtroſa et ſuperba dogmata, diſcuſſa et excuſſa: Scriptum acre, Philoſophiae ſtudioſis ad enodandas et enucleandas controuerſias et diſputationes phyſicas difficillimas admodum utile et neceſſarium. Francofurti, 1597. 8uo.

15. Theoremata de cauſis rei naturalis, Reſp. *Paulo Komorovvski de Komorovv*, nobili Polono, A. 1598. 4to.

16. Κοσμολογία, h. e. phyſicarum et metaphyſicarum diſcuſſionum de Mundo libri II. aduerſus *Franciſcum Piccolomineum*, aliosque Peripateticos. Ambergae 1603. 8uo.

17. Ουρανολογία, h. e. phyſicarum et metaphyſicarum diſcuſſionum de Coelo libri II. aduerſus *Fr. Piccolomineum* et alios Peripateticos. ibidem, eod. anno et forma.

18. De rerum aeternitate, Metaphyſices uniuerſalis partes quatuor, in quibus placita *Ariſtotelis*, *Valleſii*, *Piccolominei*, *Caeſalpini*, *Societatis Conimbricenſis*, aliorumque diſcutiuntur, examinantur atque refutantur, Marpurgi A. 1604. 8uo.

19. Theſes philoſophicae, de ortu rationalis animae, Reſp. *Chriſtoph. Leibniz*, *Alumnorum Nor. Inſpectore*, Norimb. A. 1604. 8uo.

20. Diſputatio phyſica et metaphyſica de Loco, Reſp. *Ludou. Schallingio*, Ambergenſi, A. 1606.

21. Epiſtolae quaedam ad *Sigism. Schnizerum*, Med. Bamberg. extant in huius ciſta medica, Norimb. 1625. 4to.

* *

Quae hactenus, ſecundum ſeriem annorum, quibus edita ſunt, Taurelli ſcripta recenſui, ipſemet ſtudioſe conquiſita poſſideo, uix unico excepto: Deprehendi autem ab aliis notata, mihi nondum uiſa quaedam, ſequentibus titulis:

De infiniti continui ſectione, Francofurti apud Palthen. A. 1597. 8uo. Vid. Georg. Draudii Biblioth. Claſſ.

Synopſis metaphyſicae *Ariſtotelis*; cuius ipſe autor meminit in Praefat. ad Lect. Alp. Caeſ. p. 29. Eandem ſe habuiſſe teſtatur *Io. Cunr. Dürrius* l. c.

* *

Ἀνέκδοτα autem ſine dubio reliquit uaria, de quorum transmiſſione *Io. Iac. Taurellus*, per literas Caſſellis A. 1613. datas, expoſtulauit cum Henr. Heuſchkelio, t. t. Notario Vniuerſit. Altorf. Nominatim tantum deſignata inuenio

1. Phyſiologiam medicam, cuius ipſe autor bis meminit in libello de uita et morte, lit. E. 4. et 5.
2. Commentaria in *Hippocr.* de natura hominis, quorum mentio fit ibidem, lit. G. 6.
3. De terrae motu: quod ſcriptum iam A. 1602. editum exiſtimauit, ſibique mittendum petiit *Iac. Zvvingerus* in Epiſtol. MSt. ad *Leon. Doldium*. Medicum Norimbergenſem.

PHI-



PHILIPPVS SCHERBIVS

Episcopo Cellenſis Helvetius.

Philoſoph. ac Med. D. eiusdemque et Logices et Metaphiſsices P.P. in Academia Altdorfina. ab A. 1586.

Natus *Denatus d. 11. Jul. 1605.*

P. W. Kilian ſc.

PHILIPPVS SCHERBIVS.

TAmetſi uulgo exiſtimetur, non multum referre ad hiſtoriam litterariam, accurate pernoſcere Virorum eruditorum originem et aetatem, cum uirtus et eruditio nullis temporum aut locorum conditionibus adſtricta ſit; doleo tamen, quod in recenſendo uitae curriculo proximi ſtatim a primo anteceſſorum meorum, PHILIPPI SCHERBII, praeclari ſane uiri, nec aetatem eius, nec parentes indicare queam. De his enim omnino nihil tam annales Academiae noſtrae, quam alia literarum et locorum, ſedulo quantumuis conquiſita monimenta mihi hactenus ſuppeditarunt. Patriam equidem ſuam ipſe magnus Vir non ſemel deſignauit *Heluetiam*, et ſemetipſum nuncupauit ioculari dictione einen Küh-Melcker: Natus quippe fuit in *Epiſcopi Cella* (ubi etiam THEOD. BIBLIANDER, et MELCH. GOLDASTVS orti ſunt (*) oppido in confiniis Heluetiae, ad Thurgouiam pertinente, parentibus ſine omni dubio honeſtis, cum in eo loco adhuc floreat, medico etiam nomine, SCHERBIORVM familia. Hanc auſpicato fundatam intellexi e literis celeberrimi Viri D. D. IO. IAC. SCHEVCHZERI (quas nuper ad quaeſita mea reſponſi loco accepi) per MELCHIOREM SCHERBIVM, Conſtantienſem, qui patrem ibi habuit PHILIPPVM SCHERBIVM, et A. 1552. ad Epiſcopi-Cellenſes transiens non modo ciuitatis iure, ſed et Poligrammatei officio donatus fuit. Huius igitur *Melchioris* filium fuiſſe PHILIPPVM noſtrum, ueroſimile exiſtimo, atque ita matrem habuit *Annam Calhartiam*. Sicut autem haec non ſatis explorata mihi ſunt, ita nec quicquam certi conſtat de prima SCHERBII noſtri educatione. Docilem ſatis fuiſſe probauit euentus. Academiam Baſileenſem informaſſe ipſius ſtudia, coniicere licet propter uicinam patriae, quamuis et in Italia uerſatum aliquandiu, haud incertis indiciis credam. Hoc autem planiſſime compertum habeo, ex actis publicis inclytae iſtius Academiae, laudato D. SCHEVCHZERO benigniter procurante, communicatum, quod ipſe noſter A. 1581. in biennium demandatam ſuſceperit Profeſſionem Organi Ariſtotelici, ſed uicario

(*) Vid. IO. STVMPF. Chron. Helu. p. m. 430. 6.

uicario tantum nomine, pro D. NICOLAO STVPANO : Idem uero deinceps, mortuo THOMA ERASTO, factus ſit Profeſſor Ethices, et A. 1585. Senatui Academico adſcriptus. Neſcio autem quo inſtinctu aut conſilio, noſtris ſane Muſis, tunc quaſimodogenitis ſaluberrimo, acciderit, ut anno ſequenti huc arceſſeretur SCHERBIVS, et Philoſophiae et Medicinae docendae ſparta ornatus, quam ipſe uiciſſim adeo per omne tempus reliquae uitae ſuae ornauit, ut merito ſuo gratiſſimus ſemper fuerit omnibus. Baſileenſes contra poenituiſſe, quod tantum Virum dimiſerint, uel inde apparet, quod biennio poſt reuocare eundem, et in locum THEODORI ZVVINGERI, medicae profeſſioni, ſalario ampliori conſtituto, praeficere, tametſi fruſtra laborauerint. Ex quo igitur ſedem fixit apud nos SCHERBIVS, doctorem ſe praebuit omni laude ſuperiorem, qualem graphice depinxit digniſſimus tanto praeceptore diſcipulus CASPAR HOFFMANNVS, hoc elogio: (*) *Diſpeream, ſi ulla oratio adſequi poteſt ſummam ingenii acrimoniam, coniunctam cum iudicio ſubactiſſimo. Apparet hoc ex theſibus ipſius: ſed et ex lectionibus, quas hodie uocant, a diſcipulis exceptis. E quibus niſi quis ſubito agnoſcit, non ſapuiſſe illum uulgaria, ſed ad cotem ARISTOTELIS et GALENI exacuta: nae ille parum ſalis in ſe habet. Has autem cum habebat, aut illas cum diſputabat, quanta erat corporis dignitate, uocisque ſuauitate! Tum uero quam pollebat* δυνάμει, *quam illi dicunt* ἑρμηνευτικῇ. *Nempe, tam erat utrobique perſpicuus, et tam poterat irrepere in animos audientium, miſtis opportuniſſime iocis cum ſeriis, ut, qui SCHERBIVM non intelligeret, nihil intelligeret. Vtebatur etiam ſermone, non exquiſito illo, quem faſtidioſi quidam Ciceroniani crepant; non etiam ſordido illo, quem Barbari ſectantur: ſed (uno uerbo)* διδακτικῶ. *Cum enim latiniſſime alias loqueretur, non reſpuebat terminos artis, ut appellant. Factum hinc eſt, ut frequentiſſimum haberet auditorium, cum uentitarent ad illum etiam ex illo hominum genere, quod alias Philoſophos ex alto deſpicit, uel quia marſupium illi obolet, uel quia conuerſatio haec indigna uidetur eſſe genere et ſanguine ſuo. Factum hinc etiam eſt, quod quidam eo prouecti*

(*) in Epiſt. dedicat. theſium medicarum SCHERBII.

prouecti ſunt amoris, ut quiduis notare uellent, atque etiam publicè poſtea iuris facere. — *Quo magis ueniam merebitur* ὁ μακαρίτης *noſter, ſi in Politicis, quae edita ſunt, non pauca ſint, quae a tali uiro non exſpectes.* Caeterum et apud REIP. NORIMB. PROCERES ſingulari in gratia fuit, atque apud *Senatum Academicum* autoritate ualuit, et ſemel iterumue munus *Rectoris*, *Decani* uero aliquoties publica cum approbatione ſuſtinuit. Ad domeſticum ſtatum SCHERBII quod attinet, nuptias celebrauit Norimbergae A. 1591. cum nobili uirgine HELENA ROTENBVRGIA, quarum occaſione in affinitatem peruenit Dn. IOACHIMI NÜZELII, *Senatoris et Scholarchae Nor.* t. t. grauiſſimi. Gaudium ergo ſuum declaraturi nouo ſponſo, PAVLVS MELISSVS, SCIPIO GENTILIS, et CVNR. RITTERSHVSIVS, ſingularibus ſinguli carminibus easdem nuptias cohoneſtarunt publice. Et ipſum quidem illud matrimonium, utrique coniugi iucundiſſimum et concors fuiſſe, uel hinc apparet, quod cum dilectiſſimam uxorem iſtam A. 1604. (*) amiſiſſet SCHERBIVS, iam tunc propemodum tabe confectus, in magno moerore ſuo profeſſus ſit amicis, illam mortem ſibi fore ultimam in his terris calamitatem, ceu retulit (**) MICHAEL PICCARTVS, γνησίως eius diſcipulus, hoc addito epiphonemate: *Heu! quam bonus Vir ſe lacerat et lancinat, et tantus Philoſophus in hac calamitate parum in ſe ſentit praeſidii!* Fortaſſe autem praeſenſit infelicem coniugii effectum in filio, quem ipſe unicum reliquit, non indoctum quidem, aſt prodigum et adeo degenerem, ut coactus fuerit excubitorem diurnum agere ad portam (***); neque mihi conſtat, quo tandem is dilapſus ſit, aut ubi perierit. Sed ut ad parentem, iſto iam nomine ſatis miſerum, reuertar, erat is haereditarius podagricus, diuque et multum conflictabatur cum hoc morbo, poſtremis praeſertim ſuae uitae annis; tametſi priſtinum

(*) Cum poſt decem annos mater eius, matrona uenerabilis, Norimbergae diem ſuum obitura eſſet, non in alio, quam eodem cum filia et genero, ſibi cariſſimis, ſepulcro quieſcere optauit. Quare funus huc deductum, honeſtis cerimoniis terrae mandatum fuit d. 20. April. A. 1614.

(**) in epiſtolis *Richterianis* p. 388.

(***) teſte CASP. HOFM. in epiſt. ad SPONIVM, quae extat in *Richterianis* p. 528.

animi uigorem, et Academiae inſeruiendi ſtudium quodammodo retinuerit. Huius teſtem, fide ſatis dignum appello CVNR. RITTERSHVSIVM (*) his eius uerbis: *D. SCHERBIVS noſter ex febre ualde eſt debilis, ut metuat ſuae ipſe uitae; quamquam ad mortem praeſenti eſt animo, uel ideo, ut breui ſit cum coniuge, quam praemiſit. — Magnum lumen nobis extinguetur; quamuis enim iam ab aliquot annis id morbi nebulis obſcuratum quodammodo uideri potuit, tamen domi adhuc ſplendebat, contractioribus quidem, ſed tamen ſatis dilucidis et illuſtribus radiis.* Haec ille. Caeterum tam longam moleſtamque SCHERBII aegritudinem ſecuta denique eſt beata eiusdem analyſis. Obitum uero tanti Viri praematurum (quinquaginta enim annos haud multum ſupergreſſum puto) excepit communis omnium bonorum luctus, quem aliquo modo expreſſiſſe mihi uidetur PICCARTVS (**): *Amiſimus incomparabilem illum Virum, SCHERBIVM, praeceptorem amantiſſimum, qui XI. Iul.* (A. 1605.) *intra VIII. et IX. horam antemeridianam terris Academiaeque noſtrae ualedixit. Si enim cum Catone uirtus etiam mortua recte dicebatur, cum SCHERBIO pietas, Medicina, Philoſophia et uirtus in cineres abibunt.* Omnino autem indignari mihi ſubit, quod neque Programmatis funebris, Academiae nomine ſine dubio uulgati, neque Orationis, qua optimo praeceptori ſuo M. ABRAH. BOXBARTERVM parentaſſe, ex Annalibus noſtris cognoui, ullum exemplar inuenerim. Non defuere tamen doctrinae SCHERBII, praeſertim in Philoſophia, etiam extranei praecones, inter quos HERMANNVS CONRINGIVS (***) *immortalem* nuncupat *SCHERBIVM, quem inter Germaniae noſtrae Philoſophos uix parem habuiſſe non iniuria dixeris.* Quo etiam pertinet VAL. HENR. VOGLERI iudicium (****) *quod ille primus genuinae philoſophandi rationis in Germania fuerit inſtaurator.* Addo ANDREAE LIBAVII ſane

(*) in epiſtola ad KIRCHMANNVM, quae extat in *Gudianis* p. 238.

(**) in epiſtol. *Richterian.* p. 591.

(***) Introduct. in Art. Med. cap. I. p. m. 5.

(****) Comment de rebus nat. et med. SS, p. 2.

ſane magni Viri ſententiam, qua SCHERBIVS pronunciatur *Philoſophus, cuius acumen et admirentur Itali et ſuſpiciant Germani.* Taceo MORHOFII praeclarum de SCHERBIO teſtimonium, quod Polyhiſtor illius multorum teratur manibus. Non poſſum tamen, quin adiiciam epicedium chronoſtichon a laudati PICCARTI (**) pietate profectum:

Vt ſeX aC qVInos orbI fert IVLIVs ortVs,
  IngentI affICItVr norICa CLaDe sChoLa:
praeſes obIt sophIae praeLVstrIs sCherbIVs, VnVs
  VIXIt VbI, prInCeps poeonIIqVe ChorI.

Sed ut de faceto ingenio SCHERBII nonnihil inſuper commemorem, elucet illud equidem e uariis eius ſcriptis; praeſertim uero, *diſcurſibus politicis in Ariſtot. de Rep.* Singulare autem illius exemplum praebet titulus alicui diſſertationi praefixus: *De differentiis definitionum, ad quarum uel exotericam oppugnationem, uel acroamaticam expugnationem, PH. SCHERBIVS Proſtates, et Conr. Albinus Hypoſtates, in XIII. d. Nou. omnium ordinum Academicos Epiſtatas, Paraſtatas, comiter inuitant, officioſe uocant, amice prouocant etc.*

Habeo aliquot *literas SCHERBII manu* ad amicos uarios *ſcriptas*, facetiarum ſane plenas, quarum hoc unicum hic affero ſpecimen: *Relabor ad iocum: an liceat* baden / *ei qui eryſipelate laborat? Reſpondeo phyſice, metaphyſice, et mathematice, imo ne dubites, medice, ſed non feminine; licet, ſi non actu quis laboret, et ualde licet, quia balneum aquae dulcis (antegreſſa, aut purgatione, aut ſanguinis miſſione) bilis feruorem contemperat, hepatis quoque calorem mitigat. Sed obiicitur grauiſſima auctoritas feminarum? Reſp. femina taceat, non ſolum in eccleſia, ſed et in ſchola Galeni, excipio morbos muliebres. De his malo ego quoque coram tecum loqui, quam longius ſcribere. Heic*

C 2 *homines*

(*) in epiſtola ad *H. Rennemannum*, ſchediaſmatibus Med. Philoſ. praemiſſa.
(**) in promulſide carminum, Norimb. A. 1607. 4t.

homines nihil aliud loquuntur quam *SCHOPPERITATES:* (*) *Liceat enim mihi* (*ut CICERONI* Lentulitatem *et* Appeitatem *fingere licuit) in rebus quoque nouis nouum uocabulum fingere. Sol, ut puto, propius ad nos accedet poſthac, et pro* Tannzapffen/ *melle, lacte, uino abundabimus! O fortunatos agricolas! Vtinam modo ſpes non ſit ſomnium uigilantis. Bene uale, et concipe φρόνημα νεανικόν. Tibi autem hoc ſoli. Vinum meum incipit proſpicere ad metam; per occaſionem quaeras uelim quid iam forum uinarium ferat, auctane pretia?* Wann ein gut Zeichen im Calender ſtehet zu kauffen? *credo,* wann einer Geld im Beutel hat etc. Aeque autem promptum paratumque SCHERBIVM, ad ſeria proferenda, quam ad iocoſa fuiſſe, tot eius commentationes, medici pariter ac philoſophici argumenti, ſane perquam graues ac ſeriae, luculenter oſtendunt. Animi uero ſingularem moderationem ipſe probauit in controuerſia, propter *Ariſtotelicam Philoſophiam*, habita cum *Ramiſtis;* quorum quidam, HENNINGVS RENNEMANNVS, geminato magna proteruitate ſcripto (**) adoriens SCHERBIVM, ab hoc, bonitate cauſae ſuae confiſo, nequicquam reſponſi tulit. Nugas tamen et ineptias hominis, pro merito confutauit, et ab iis tam Galeniſcae medicinae, quam peripateticae familiae, ſcholarumque Germaniae dignitatem, tum etiam ſeorſim SCHERBIVM, indigne tractatum uindicauit ANDR. LIBAVIVS, peculiari Schediaſmatum Medico-Philoſophicorum, ſale et pipere ſat liberaliter conſperſorum uolumine. (***) Neque poſt obitum SCHERBII defuerunt, qui dogmata ipſius famamque ſugillarent: Cuiusmodi blateronem quempiam, leporis leoni mortuo inſultantis, et ranae coaxantis, pulchra ſimilitudine notatum exploſit ERNESTVS SONERVS. (****) Aliorum uero eiusdem ſortis hominum procacitatem quaſi praeſagiens MICHAEL VIRDVNGVS, (*****) non tam

(*) alludit ad populares plauſus, quibus An. 1598. exceptus eſt D. IAC. SCHOPPERVS, Theol. Prof. et Antiſtes.

(**) Pro Philoſophia Ramea aduerſus Peripateticos Diſſertatio, eiusdemque Apologia etc. Francofurti 1595. 8uo.

(***) quod prodiit Francofurti A. 1596.

(****) in epiſt. dedicat. theſium de materia prima.

(*****) in Appendice Tragoediarum.

tam SCHERBIO quam *Ariſtotelicae ſaniori Philoſophiae* naenias hunc in modum cecinit:

Gaudete, o pecus Arcadum, atque obeſi
Quicquid uiſceris eſt, adeps ſcholarum:
Gaude, Inſcitia nunc ſuperba, folle
Quouis turgidiorque inaniorque,
Ventis rumpitor eruditionis,
Vaecordemque para excitare rixam
Rurſus in ueteres, miſer miſerque
Stagirae male uapulans alumnus
Nunc nunc auriculas habeto aſelli.
At Rex audiat eruditionis,
Qui Regi facere eruditionis
Scit conuicia : nauteam bibamus,
Pro ueri ambroſia, in Poli beatas
Poſtquam SCHERBIVS emicauit arces:
Ille SCHERBIVS ille: io ſiniſtra,
Io peſſima, Mors, lues bonorum,
Vt SCHERBI ſicelice meſſuiſti
Diuinum caput, eruditionis
Quicquid eſt ſimul atra meſſuiſti.

*
*   *

SCRIPTA PHIL. SCHERBII EDITA.

Theſes Philoſophicae, in unum corpus redactae, Ambergae, apud Mich. Kulſnerum, 1605. 4to. Denuo emendatius et auctius (*) editae Helmſtadii, 1659. 4to. cum praefatione *M. Andr. Rudolphi.* Ordo et index theſium eſt ſequens.

1. De libris Ariſtotelis acroamaticis et exotericis, Reſp. *Melior Guldinaſtus (Melch. Goldaſtus.)*

 2. De

(*) tribus nempe diſputationibus adiectis.

2. De differentiis Analytices et Dialectices. Reſp. *M. Georgius Gallus.*
3. De differentiis Logices et Dialectices, ex ſententia Auerrois, Reſp. *Io. Iac. Heber.*
4. De differentiis Rhetorices et Dialectices Ariſtoteleae, Reſp. *Io. Burckhardus.*
5. De genere Syllogiſmi, ſiue de ΛΟΓΩ. Reſp. *Hieron. Schallerus.*
6. De definitione definitionis, Reſp. *Io. Budakerus.*
7. De differentiis definitionum, Reſp. *Conr. Albinus.*
8. De diſcendi docendique Prudentia, Reſp. *Mart. Czaplic.*
9. De Categoriis, Reſp. *Daniel VVagnerus.*
10. De communibus ad unum, eorumque explicandorum ratione, Reſp. *Io. Budakerus.*
11. Theſes Politicae, Reſp. *Io. Georg. Böhne.*
12. Excerpta Politica, Reſp. *Hieron. Dreslerus.*
13. Politica-Medica, Reſp. *M. Tobias Salander.*
14. Theſes Phyſicae, Reſp. *Georg. Salmuth.*
15. De notioribus Natura et nobis, Reſp. *Balthaſar Croſnieuicius.*
16. De Vniuerſalibus, Reſp. *Alexander Raiek.*
17. Artis apodicticae fragmenta, Reſp. *Ioannes Czaplius a Szpanovv.*
18. De cauſis mutationis et interitus rerum publicarum, Reſp. *Nicol. Oſſolynski ab Oſſolik.*

Diſſertatio pro Philoſophia peripatetica aduerſus Ramiſtas: extat in Philoſophia Altorfina per *Io. Paul. Felvvingerum* edita. (*)

Oratio de idoneo iudice earum controuerſiarum, quae in artibus naſci ſolent, ex ſententia *Galeni*, A. 1592. primum edita, poſtmodum acceſſit ad eandem Philoſ. Altorf.

Diſcurſus

(*) De hac non poſſum, quin proferam iudicium celeberr. MORHOFII, Polyhiſt. Philoſoph. p. m. 62. *Elegantiſſima eſt SCHERBII diſputatio pro Philoſophia peripatetica aduerſus Ramiſtas, adeo breuis, neruoſa et elegans, neque ſine flore eloquentiae, ut uel uaſto libro accuratius aliquid ſcribi non poſſet.*

Diſcurſus Politici in *Ariſtotelis* de Republica libros, Francofurti An. 1610. 8vo. (*)

Theſes medicae, collectae et editae a CASP. HOFMANNO, Lipſiae, 1614. 8uo. praemittuntur, arbitrio editoris, Endoxa Philoſophica et Medica HENRICI LAVATERI. Theſium autem Scherbianarum tituli ſunt ſequentes:

1. De fine et aliis, quae ad προθεωρίαν artis medicae ſpectant, Reſp. *Mart. Chimielecius*, Polonus.
2. De elementis eorumque miſtione, Reſp. *Anton. Varus*, 1585.
3. De Temperamentis, Reſp. *Io. Georg. Leo*, 1586.
4. De partibus ſimilaribus, Reſp. *Ioan. Haun*, Clingenſis Tyrigeta, 1586.
5. De caloris animalis interitu, Reſp. *Caſpar Firling*, Glogauienſis, 1585.
6. De uſu reſpirationis, Reſp. *Math. Timinus*, 1585.
7. Ad primam ſectionem Aphoriſm. HIPPOCRATIS Reſp. *Io. Engelhardus VVernla*, 1585.
8. Ex uariis artis partibus collectae theſes, Reſp. *Vitus Gertner*, Norimb. 1590.
9. Ex methodo medendi collectae theſes, Reſp. *Ioan. Riebſtein*, Gerolshouenſis, 1592.
10. Theſes therapeuticae, Reſp. *Ioach. Oelhafius*, Dantiſcanus Boruſſus, 1593.
11. De morbis, Reſp. *Sigismundus Snitzerus*, Vlmenſis, 1585.
12. De eſſentia morbi, Reſp. *Daniel VVagnerus*, VVindeshemius Francus.

13. De

(*) Bibliopola, qui hanc editionem procurauit, *Io. Theod. Schoenvvetter*, in epiſt. dedicat. commemorat, integrum iſtum in *A iſt. Polit.* commentarium, ampliſſimis cum auctariis apud nobilem et clariſſ. Virum IOANNEM KRAFTIVM, Senatorem et Patricium Vlmenſem extitiſſe. Poſthumi uero illius, et adeo imperfecti operis excuſationem, a CASP. HOFMANNO datam, ſupra iam retulimus.

13. De morbis, Reſp. *Flaminius Gaſt*, Sueboſienſis Sileſius, 1594.

14. De cauſa morbi, Reſp. *Ioach. Oelhaſius*, Dantiſcanus Boruſſus, 1593.

15. De Symptomatibus, Reſp. *Daniel VVaguerus*, 1593.

16. De calculo renum et ueſicae, Reſp. *Martinus Piſecius*, Sileſius, 1597.

17. De peſtilentia, Reſp. *Georg. Petrus Berſmannus*, Lipſienſis, 1600.

18. De ſummis uitae conſeruandae ſcopis, Reſp. *Stephanus Geiger*, Norimb. 1601.

19. De febre hectica, quam M. Iun. 1604. habere debuit, ſed ob morbum Praeſidis non habuit. M. *Io. Iac. Minor*, Schorndorf. VVirtemb.

Ad calcem harum theſium acceſſit *examen Panaceae Amvvaldinae*, habitum, ad inſtantiam magnorum uirorum, a PHILIPPO SCHERBIO.

Epiſtola ad *Sigism. Schnitzerum*, extat in ciſta medica *Ioan. Hornungi*, p. 343.

Epiſtola ad ANDR. LIBAVIVM, praefigitur huius Medico-Philoſophicis Schediaſmatibus, Francof. 1596. 8uo.

Praefatio epiſtolica (*) ad *Erneſtum Sonerum*, in ANDREAE CAESALPINI de Metallicis libros, Norimb. 1602. editos.

Extat etiam *Sylua medicamentorum compoſitorum*, e bibilotheca SCHERBII deprompta per C. HOFMANNVM, Lipſiae, 1617. 8uo. Verum is, cum in titulo, tum in praefatione, non Scherbium, ſed alium, quantumuis ignotum, libelli, plurimum commendati autorem eſſe profitetur.

* *

Praeterea recenſentur a *Georgio Draudio*, tanquam edita SCHERBII ſcripta, Notae illuſtres in Politica *Ariſtotelis*, Francof. apud Rothium, 8uo.

De

(*) in hac praefatione SCHERBIVS haud obſcure notat TAVRELLVM, quaſi is aduerſus CAESALPINVM ſcribendo parum profecerit.

De natura Politicae, ibid. ap. eundem, 8uo. (*)

Medulla Philoſophiae peripateticae, Ambergae ap. Schoenfeld. 1608. 4to. (**)

* *

Ineditorum autem SCHERBII ſcriptorum, praeter epiſtolas MStas (quarum fortaſſe multo plures alibi, quam apud me deliteſcunt) nihil commemoratum ſuccurrit, excepta *Diſſertatione de morbis colliquatiuis*, quam uehementer deſiderauit, ac deperditam doluit CASP. HOFMANNVS hiſce uerbis: *Cum PH. SCHERBIVS, mundus ille omnium uirtutum et diſciplinarum, non procul abeſſe ſe ſentiret a fatali termino, optaſſe dicitur, liceret ſibi integris uiribus diſputare de morbis colliquatiuis, materia tam uulgo ignota, quam neceſſaria omnibus elegantioribus medicis. Inde cum coniecturarem ego, ſi non perfectum, certe affectum quid tale reliquiſſe illum: coepi apud haeredem diligenter inquirere, facturus, quod erga praeceptorem optimum fas eſſet facere memorem diſcipulum. Verum opinione mea luculenter falſus ſum, dubium, malignaue potius quorundam inuidentia, quam fato ſiniſteriore. etc.*

(*) duo iſti tituli non aliud, quam antea memoratum opus *Diſcurſuum Politicorum* deſignare mihi uidentur.

(**) neque hanc, niſi forte ſolo titulo, a *Theſibus Philoſophicis* differre arbitror.

(***) in praefat. collectan. de Ichoribus.

D ERNE-

ERNESTVS SONERVS

QVod ſi in huius Viri hiſtoria vitae ſcribenda expedire me quam facillime uellem, certe integram huc tranſcriberem Orationem, qua iſtius, cognati, hoſpitis, ac praeceptoris ſui memoriam celebrauit GEORGIVS RICHTERVS (*). Aſt enim uero, cum non ignorem, quam multi ſint qui exiſtiment, in ea laudatione nimium eſſe datum priuato amoris affectui, ſatius fore arbitror, ſi omiſſis, quae ſuſpicionem aut inuidiam concitare poſſint, tum et inutilibus digreſſionibus, ea duntaxat depromerem, quae ad rem ipſam et inſtituti rationem proximius pertineant. Natus eſt ille SONERVS noſter *Norimbergae* A. 1573. patre MARCO SONERO, ciue ibidem ac mercatore, qui cum tribus germanis fratribus, *Ioanne*, *Matthaeo*, et *Georgio*, Nobilium ordini ab IMP. CAES. MAXIMILIANO II. adſcriptus fuit. Docile ingenium ſuum mature excoluit bonis literis ſtudiisque in patria ſcholaſticis, adeo quidem feliciter, ut anno aetatis decimo quinto *Altorfium* miſſus a parentibus, breui tempore ab inferiorum (quae tunc locum heic iuxta cum Academia habuerant) claſſium diſciplinis, ad ſuperiora publicarum lectionum ſubſellia promotus, aequales poſtea ſuos diligentia et eruditione ſuperauerit. Hanc bonam SONERI indolem cum intellexiſſent *Prudentiſſimi* SCHOLARCHAE, nulla interpoſita mora ipſum receperunt in alumnorum numerum: in quo cum per quadriennium ferme ſe geſiſſet egregie, hoc tandem quoque tulit uirtutis et induſtriae praemium, ut ipſe primus aureo (quod communiter uocant) *ſtipendio Aicholziano* donaretur, medicinae candidatis, ad exteros praeſertim ituris deſtinato. Interea Philoſophiae non minus quam medicinae ſedulam nauauit operam, praeceptore inprimis uſus incomparabili SCHERBIO, tum etiam acutiſſimo TAVRELLO, quorum ope tantum is profecit, ut publicos etiam eorum applauſus mereretur. Cum enim aliquando de ſanguinis miſſione ſub praeſidio SCHERBII diſputaret, ac in eo certamine pulcherrime ſtaret, conuerſus ad eum SCHERBIVS, *nunc quidem*, (ait) *SONERE*, *Reſpondentis munere perfunctus es*, *ego autem Praeſidis*: *in poſterum Praeſide amplius non indigebis*,

(*) Typis impreſſa eſt Norimbergae ap. Abr. VVagenmannum A. 1614. 4to.



ERNESTVS SONERVS
Norimbergenſis.
Philoſophiæ et Medicinæ Doctor. Ejusdemque Phyſi„ ces Profeſſor Publicus in Academia Altorfina.
Natus A. C. 1574. denatus 1612. d. 29. Sept.
W. P. Kilian ſculpſit.

indigebis, ſed ipſam hanc cathedram ſuperiorem, aliorum Praeſes aſcendes. Et ſane non multo poſt euenit, ut dignitate ac titulo Magiſtri Philoſophiae (*) a GEORGIO GLACIANO condecoratus, ſingulis ſeptimanis ſingulas diſputationes phyſicas, in quibus ipſe Praeſidis officio fungebatur, priuatim habuerit; quod etiam in Medicina deinde tentauit, parique cum laude perfecit. Cum autem ita ſe aliquandiu Altorfii exercuiſſet, ſibique ad ſtudiorum curſum feliciter abſoluendum nonnulla ex aliarum quoque gentium ſcholis petenda eſſe perſpexiſſet, peregrinationis conſilium cepit. Opportune tunc SONERO offerebantur duo iuuenes generoſae apud Norimbergenſes proſapiae, ut non modo comitem itineris, ſed et morum ac ſtudiorum ſe moderatorem iis praeberet: alter erat Dn. CHRISTOPHORI FÜRERI *ab Haimendorff, Duumuiri et Equitis Aurati filius* homonymos, et ipſe poſtmodum Senator Reip. patriae: alter CHRISTOPHORVS SCHLAVDERSBACHIVS, poſtea dicaſterii ibidem aſſeſſor. Cum his igitur, relicta *Norimberga*, primum peruenit *Hamburgum*, ubi cum paucos dies commorati fuiſſent, inde *Amſtelodamum* itinere maritimo petere conſtituerunt. Verum uix nauem aſcenderant, cum tanta ex improuiſo tamque pertinax tempeſtas orta eſt, ut omnes ſibi extremum diem illuxiſſe putarent, ſalutemque ſuam Deo unice commendarent, qui tandem in portum quendam ſaluos et incolumes deduxit: parum tamen abfuit, quin eo periculo liberati, ex Scylla in Charybdin incidiſſe uiderentur, ideo, quod portum illum, in quem uentorum intemperies eos detruſerat, totum peſtilentia infectum fuiſſe poſtea cognouerint; quare per *Friſiam* proficiſci *Amſtelodamum* coacti ſunt. Huc cum tandem perueniſſent, curatis prius corporibus, nihil antiquius habuerunt, quam ad nobilem illam *Batauorum Academiam* ad tempus diuertere. Ibi SONERVS diu latere non potuit, ſed clariſſimis Viris, Doctoribus et Profeſſoribus, mature innotuit inſignis eius eruditio. Narrat inter alia RICHTERVS, quod ſingulari quodam fauore ac praerogatiua in publico dignus iudicatus fuerit SONERVS, ut quum opponentes (quos uocant) alii, horae dimidio lapſo, pro more Lycei illius ſilere, et aliis locum dare praeconis uoce iuberentur; ipſe

D 2 ſolus,

*) A. 1595. ubi inter ſex Candidatos primum SONERVS locum obtinuit.

ſolus, nemine interpellante, omnium tam Doctorum quam auditorum ſummo conſenſu atque ſilentio usque ad finem diſputationis audiretur. *Nouus* iam ibi uidebatur exortus *ARISTOTELES*, omnes *Altorſinam* praecipue *ſcholam*, tanti ingenii nutricem et altricem, in coelum laudibus uehebant: multi quoque, cum uerum nomen ignorarent, *doctum Germanum* per excellentiam uocabant; adeo in admirationem et amorem ſui omnium mentes conuerterat. Seorſim principibus in re literaria Viris, IOSEPHO SCALIGERO, IANO DVSAE, PHILIPPO MARNIXIO, PAVLO MERVLAE, et inter Medicos IO. HEVRNIO, CAROLO item CLVSIO, aliisque iſtius Academiae Doctoribus, innotuit: hos docentes ſedulo audiuit, omnique honore affecit, uiciſſim ab illis dilectus et honoratus. Cum itaque in celeberrimo iſto literarum emporio, quas ſecum intulerat merces haud poenitendis acceſſionibus, Philoſophiae et Medicinae collocupletaſſet, alias porro regiones cum ſociis inuiſere conſtituit, et *Hollandia* relicta in *Britanniam* uenit, ubi toto terrarum orbem celeberrimam *Reginam ELISABETHAM* uidit: *Oxonienſem Academiam*, et Metropolim Angliae, *Londinum* per aliquot tempus frequentauit. Retro inde in *Galliam* traiecit, ubi perluſtratis urbibus *Rothomago*, *Lutetia Pariſiorum*, *Aureliano* et *Auarico Biturigum*, cuius Academiae aliquandiu ciuis fuit, item *Lugdunenſi emporio*, uiſis quoque ac relictis a tergo *Auenione*, *Maſſilia*, aliisque nobilioribus Galliae ciuitatibus, tandem ſe in Italiam penetrauit. In huius limine ſtatim *Genua* SONERVM hoſpitem excepit, dehinc *Mediolanum*, poſt illa, quo toto animo ferebatur *Lyceum Patauinum:* uerum quo minus id ſtatim ageret, cuius rei gratia eo uenerat, itineris ratio et conſilium obſtabant, quae ut uno quaſi protelo, et nusquam interquieſcente remigio, caeteras quoque *Italiae* urbes peteret, ſuadebant. Igitur *Ferrariam* primum, deinde *Bononiam* profectus eſt, hinc Apennini iuga altiſſima ſuperauit, *Florentiam* ac *Senas* acceſſit, donec *Romam* caput urbium et orbis ingreſſus, non tam ea, quae uulgus peregrinantium ſolet, admiratus eſt, quam nimis pauca *ueteris Romae* ueſtigia, imo uix umbram illius ſupereſſe deplorauit. Itaque dolore potius quam uoluptate ex ſpectaculo *Dominae Vrbis* affectus, *Neapolim* petiit: prope eam

Pau-

Pauſilypum montem aliaque loca adiacentia, naturae miraculis et antiquorum monumentis celebrata perluſtrauit: heic *Vulcani forum* ardens, heic *canum*, quod uocant, *antrum*, et propter illud *Auernum lacum*: heic *CICERONIS uillam*, *Academiam* dictam, et VIRGILII MARONIS, nec non ACTII SINCERI SANAZARII tumulos: praeterea ſpecum, in qua SYBILLA CVMAEA olim uaticinata perhibetur, et APOLLINIS *templum*, de quibus antea l. legerat aliquid l. audiuerat, ſuis ipſe oculis uſurpauit; quae ſola tanti eſſe iudicant talium periti, ut nemini ſumtuum in hoc iter impenſorum facile poenitere debeat. Ad iſtum ergo modum SONERVS, cum ducentorum fere milliariorum Germanicorum in *Italia* emenſus eſſet, *Patauium* reuerſus eſt, ubi magna alacriatte urſit iam olim coeptum Medicinae ſtudium, cui unice ibi deditus fuit, maximorum in ea ſcientia luminum fauore et beneuolentia prouectus. Iamque exacta laudabiliter per aſſiduum laborem iuuentus aurem noſtro peruellicabat, ut de praemio laborum conſequendo, et patria repetenda ſerio cogitaret. Quare ex *Italia Baſileam Rauracorum* ueniens, Doctoris in Medicina inſignia atque titulum A. 1601. adeptus, pauloque poſt *Norimbergam* reuerſus eſt, annos XXVIII. natus. Mox florentiſſimo Medicorum Collegio adſcriptus, ſuam haud uulgarem peritiam et alacritatem multis ſpeciminibus comprobauit. Nolo ſingularem eius in medendo felicitatem ambitioſius extollere cum RICHTERO, ipſam tamen haud exiguam, nec fama deſtitutam fuiſſe, ſatis perſuaſum habeo. Et potuiſſet ſine dubio SONERVS maiora auctoritatis et fortunae incrementa capere in patria, niſi gratioſa *Superiorum* uoluntas eundem Muſis noſtris reddere decreuiſſet. Cum enim PHIL. SCHERBIVS diem ſuum obiiſſet, non diu deliberatum fuit de idoneo ſucceſſore, ſed quem uiuus iſte deſignauerat, eum, comprobante iudicium defuncti *inclyto D. D. SCHOLARCHARVM ordine*, poſt mortem ſucceſſorem habuit SONERVM, qui ſtatim *Norimberga* relicta Altorfium prouectus eſt, et uiuorum iuxta ac mortuorum de ſe iudicia ſuo aduentu rata habens, geminam profeſſionem, Philoſophiae naturalis et Medicinae practicae, A. 1605. ſuſcepit. In docendo hoc inprimis ſemper ſpectauit, ut auditores ſuos non uanis aut inanibus recentiorum altercationibus detineret,

ſed quae firmo ac immoto ueritatis fundamento niterentur e ueterum Philoſophorum ac Medicorum ſcriptis deprompta traderet, eaque perſpicuo et acommodato ſermonis genere illis proponeret. Multa quae a plurimis abſurda GALENI et ARISTOTELIS dicta arguebantur, egregregie uindicare, et non tam a ueritate, quam a plerorumque praua interpretatione aliena eſſe, erudite demonſtrare nouerat: quin et ea, quae tamquam manifeſte falſa et ἀδύνατα prorſus nonnulli inducenda cenſebant, ille inter maxime perſpicua, reique ueritati congruentia reponenda idoneis argumentis peruincebat. Proinde factum eſt, ut frequens in utraque ſua profeſſione haberet auditorium. Explicauit autem praecipue ARISTOTELIS *organon* et *metaphyſicam*, tum et GALENI *ſcripta* nonnulla, quemadmodum eo tempore conſuetum et ſtatutum erat in Academiis. Exercitauit quoque diſcipulos ſuos frequentibus inſtitutis diſputationibus. *Decani* munere aliquoties, *Rectoris* ſemel functus eſt laudabiliter. Cum iſto tempore peſtilentia turbaret quodammodo Academiam, idemque malum inuaderet etiam TAVRELLVM, hunc ita decumbentem, olim praeceptorem nunc Collegam ſuum, deſtituere SONERVS impium exiſtimans, ſaepius acceſſit, medicamenta ipſe praeparauit et applicuit, nec citius TAVRELLVM, quam hic mundum reliquit. De familia SONERI parum habeo compertum quod referam. Vxorem *Norimbergae* duxit, antequam *Altorfium* euocatus eſt, neſcio tamen quibus natam parentibus. Quod uiduam poſt ſe reliquerit, plane conſtat, ſicut etiam hoc, quod foecundum fuerit iſtud matrimonium, tametſi unius duntaxat filiae nomen reſciſcere potuerim, *Clarae Helenae*, quae *VVolffgango Lindeſio*, ciui et aurifabro *Norimgae*, nupſit, et A. 1642. adhuc ſuperſtes fuit. Ceterum ipſe SONERVS in aetatis flore, immatura morte, quadragenario quippe inferior, ulcere maligno correptus, fatis conceſſit d. 28. Septembris A. 1612.

Iam ego ſane uellem, ut praeter *recenſionem ſcriptorum* huius Viri, nihil amplius de eodem commemorare deberem; aſt aurem mihi ſentio uellicari, ut profiterer, ſi quid exploratum habeam *de religione* SONERI, quam hodieque multi adeo increpant, ut *Socinianorum haereſi* et impiis dogmatibus non modo addictum illum, ſed et propagatorem etiam eorundem

dem ſuiſſe contendant. Quibus ego contradicere tanto minus audeo, quanto magis fide dignis relationibus, idem ut credam perſuadeor. Seductum autem conſtat SONERVM fuiſſe ab ANDREA VOIDOVIO, Polono (*), Sectae illius aſſertore inter praecipuos, idque factum eſſe patet, non proximo ante obitum SONERI tempore, ceu nuper Vir celeberrimus D. MOSHEIM (**) perhibuit, ſed probabiliter, aut priusquam ad Belgas abiret, aut cum apud Belgas haereret SONERVS. Quicquid ſit, diu ſatis abdite latuit illa ſeductio, et circa fidem chriſtianam peruerſitas, cum interim eadem alios, inprimis IO. CRELLIVM, MARTINVMQVE RVARVM contaminaſſe SONERVS haud perperam accuſetur. Atqui hos ego fructus eſſe puto curioſioris illius Philoſophiae ſpeculatricis, et audacioris abuſus humani ingenii et rationis, in rebus, quae ſunt mere fidei; quo ſane propter diligentiorem illius cultum facile dilabi poterat SONERVS; qui tamen (ſicuti ſupra retuli) nefandus error uix ante mortem SONERI obſeruatus ab aliis, ſectae iſti non addictis, eſſe uidetur. Ipſo autem mortuo breui increbuit ſuſpicio, quin et fama de SONERI circa religionem erroribus. Quare cum GEORG. RICHTERVS parentare SONERO inſtituiſſet, de concedendo dubitatum aliquandiu *Norimbergae* fuit, donec MICHAEL PICCARTVS, t. t. Academiae Rector, ad Dn. GEORGIVM VOLCKAMERVM, *Senatorem Nor. primarium*, perſcripta epiſtola (cuius apographum ſeruo) pluribus argumentis ueniam impetrauit. Neque tamen ipſe PICCARTVS, haud male primum de SONERI religione perſuaſus, poſtea, re melius cognita, diſſimulauit, *illum, in Belgio propinatum ab ARMINIO* (an potius VOIDOVIO?) *uenenum, transfudiſſe in diſcipulos ſuos, et non niſi optimo ingenio praeditos, qui porro plantare poſſent* (***). Vtrum uero is ad uitae ſuae finem usque retinuerit illam mentem ac haereſin deteſtabilem, an reſipuerit forſitan? ego quidem non auſim decernere;

(*) vid. ſumme uenerandi D. D. ZELTNERI noſtri Vit. Theolog. Altorf. p. 201.

(**) in ſermonibus ſacris, idiomate uernaculo uulgatis. conf. die Teutſchen Acta Erudit. Sect. CIII.

(***) in epiſtola ad IO. KIRCHMANNVM perſcripta A. 1616. quae extat cum *Gudianis* p. 255.

cernere; poſterius tamen, ut eueniſſet, optare iubet chriſtiana charitas, quin et aliquantulum credere par eſt, niſi omnem derogare fidem uelimus teſtimonio grauiſſimi Theologi, IACOBI SCHOPPERI, quod ipſe adiecit orationi Richterianae, forma epiſtolii. Perperam id omiſit HENNINGVS VVITTE (*), tametſi totam orationem iſtam, cum aliquibus epicediis ad uerbum tranſcripſerit. Non alienum igitur eſſe arbitror, ſi propter exemplarium raritatem, denuo ſubiiciam oculis et iudicio cordati lectoris integrum illud *Schopperianum de SONERO teſtimonium.*

Lubens audiui orationem tuam, in qua de natalibus, educatione, ſtudiis, uirtutibus, eruditione, et beato exitu ex hac uita clariſſ. Viri Dn. ERNESTI SONERI, Medicinae D. et in hac celebri Academia Altorfina Profeſſoris, et Practici praeſtantiſſimi, affinis noſtri piae memoriae, in frequentiſſimo Auditorio praeclare diſſeruiſti: Eaque mihi non tantum propter elegantiam ſtyli, ſed multo magis propter defuncti memoriam, et quia quaedam minime uulgaria continebat, perplacuit: et occaſionem praeſtitit, ut loco carminis alicuius in honorem ipſius, et gratiam tuam, pauca quaedam, quae fortaſſis non omnibus ſunt nota, conſignanda putarem: Ea nimirum, quae ex conuerſatione ipſius, et colloquiis frequentibus cognoui. Ac initio, quia timor Domini eſt initium ſapientiae, Defunctus noſter uerbum Dei ita amabat, et aeſtimabat, ut ſaepius mihi dixerit: Haec eſt auctoritas et ueritas uerbi diuini, cui ſi omnes Patres, et Concilia reclamarent, ſtandum tamen ea, et acquieſcendum eſt. Saepe quoque conquerebatur, per certamina in Eccleſia Dei eo deuentum eſſe, ut multi ſua dogmata non ex S. Scriptura, ſed ex Patribus et Conciliis probare conarentur, cum e contrario ipſe exiſtimet, uerbum Dei non per opiniones hominum, ſed contra hominum opiniones per uerbum Dei probari debere. Conciones Miniſtrorum Eccleſiae, qui ſine ambagibus uerbum Dei bona methodo explicant, attentus audiebat, aliena tractantes negligebat. Creberrime dicere ſolebat, ex animo ſe credere, Chriſtum eſſe uerum Deum et hominem: Ac ſe totum Chriſtum, tanquam Deum et hominem ſecundum utramque naturam in una perſona adorare: Eos uero ex animo deteſtari:

(*) memor. Medicor. p. 36.

teſtari, qui Maieſtatem Filii Dei quoquo modo imminuerent, cui colendo et adorando nulla ſatis deuotio mortalium eſſet poſſet. Ad extremum uitae, quam in terris egit, actum, cum declinaſſet, uiſitaui illum, et quidem ea ueſpera, quae ipſius mortem praeceſſit: nocte quoque ſubſecuta circa horam ſecundam, ipſo petente, uocatus adfui, et Dei gratia ipſum conſolatus ſpe ſalutis aeternae in ſolum Chriſtum, Dei et Mariae Filium, collocanda: inter alia haec loca conſolationis pleniſſima propoſui Ioh. 3: Sic Deus dilexit mundum etc. Item Ioh. 5: Amen dico uobis, qui ſermonem meum audiuerit, et crediderit Patri, qui miſit me, habebit uitam aeternam etc. Addebam etiam exemplum Lazari, cuius anima ab angelis in ſinum Abrahae deportata fuit, et latronis in cruce, cui Saluator dixit: Hodie mecum eris in Paradiſo. Vbi me talia dicentem defixis oculis aſpiciebat, dictis annuebat, ac precibus conſuetis:

HErr JEſu Chriſt / wahr Menſch und GOtt /
Der du littſt Marter / Angſt und Spott / ꝛc.

Praeeuntem ſequebatur, donec ſpiritum ſuum Patri coeleſti in manus traderet. Quouſque autem ſufficiat hoc teſtimonium ad comprobandam SONERI conuerſionem, atque cum Eccleſia Chriſti in uera fide conſenſionem, ego nunc in medio relinquam, admonitus nempe uerbo ipſius S. SALVATORIS noſtri: *Nolite iudicare! Et quis ego ſim, qui iudicem alienum ſeruum?* (*) *Domino ſuo ſtetit aut cecidit.*

Nunc nihil ſupereſt, quam ut ſcripta SONERI enumerem. Aſt hic noua mihi naſcitur dubitatio, utrum ea quoque debeam indicare, an ſilentio praetermittere, quae *Socinianam haereſin ac impietatem* fouere feruntur? Exponam autem ea primum, quae caruerunt hactenus illa ſuſpicione, et nomen SONERI aperte praeſeferunt:

1. De Melancholia, Diſputatio inaug. Baſileae, 1601. d. 27. Aug. habita.
2. Oratio (**) de *Theophraſto Paracelſo*, eiusque pernicioſa medicina.
3. De ſanguinis detractione per uenas, Reſp. M. *Abrah. Boxbarter*, 1606.

(*) Rom. XIIII, 4.
(**) An. 1605. ſub initium muneris Academici habita.

4. De materia prima, Diſputationes duae, Reſp. *Io. Georg. Veſtner*, Altorfinus.

5. Orationes duae, I. de Inſomniis, II. de uita contemplatiua, publice habitae in promotione Magiſtrorum et Baccalaureorum Philoſ. An. 1609. et 10.

6. De morbis materiae, Reſp. *Io. Clemens Cuno*, Nor. 1609.

7. Diſput. de morbis formae, ſiue totius ſubſtantiae, Reſp. *Io. Henr. Kirchberger*, Nor. 1610.

8. Problemata miſcellanea, ex Phyſicis et Metaphyſicis propoſita, Reſp. *Io. Leopold*, Nor. 1610.

9. Theſes de Iride coeleſti, Reſp. *Andr. Ludou. Schopperus*, Onoldsbacenſis, 1610.

10. Diſp. Phyſica de Motu, Reſp. *Caſpar Starck*, Dapfheimenſis.

11. In librum ARISTOTELIS, περὶ ἑρμηνείας, commentatio ſiue περίφρασις, edita a *Io. Paulo Felbingero*, Metaphyſ. et Logic. Prof. P. Altorfi 1641. 4to.

12. Commentar. in XII. libros ARISTOTELIS, Ienae 1657 (*) 4to.

13. Epiſtolae duae, ad NICOL. TAVRELLVM et SIGISM. SCHNITZERVM, exſtant in huius et *Io. Hornungi* ciſta medica.

14. Conſilium Medicum et epiſtolas duas de uſu Thermarum Carolinarum in quodam affectu, *Mich. Reudenius*, cum aliis adiecit *VVencesl. Payeri* de iſtis Thermis tractatui, Lipſiae 1614. in 8vo edito.

Ex his hactenus recenſitis SONERI ſcriptis, ea, quae num. 2. 4. 5. 8. 9. et 10. notantur, *Philoſophiae Altorfinae* inſeruit FELBINGERVS.

Ab aliis autem SONERI operibus, *heterodoxia Photiniana* manifeſto contaminatis, aut ſaltem propter hanc multum ſuſpectis, tanto facilius

(*) Alibi deſignatum inuenio, tanquam iteratae editionis, annum 1666. Caeterum PETRVS BERTIVS in epiſtola (quae extat in *Richterianis* p. 158.) redarguit praepoſterum iudicium quorundam, aſſerentium, *Photiniani erroris fundamenta Metaphyſicis iſtis contineri*. Paradoxa tamen nonnulla in iisdem libere notauit editor, FELBINGERVS, ac ſeorſim in appendice illam perſtrinxit opinionem; *quod Angeli habeant corpora*.

facilius me abſtraho, quanto minus illorum quicquam inſpicere mihi hucusque contigit. Quae SANDIVS in *Bibliotheca Antitrinitar.* p. 96. et 97. haud exiguo numero proponit, pleraque inedita eſſe confitetur ipſe, nec ullius annum editionis declarat, excepta *demonſtratione Theologica et Philoſophica, quod aeterna impiorum ſupplicia non arguant Dei iuſtitiam, ſed iniuſtitiam.* Hoc opuſculum multo poſt SONERI obitum, uidelicet An. 1654. in 12. prodiiſſe fertur. Eſt uero etiam illud ipſum, quod illuſtris LEIBNITIVS (*) in itinere Anglico, typis Anglicis alicubi exſcriptum reperit, et cum praefatione ſua, ſeu confutatione potius, denuo in publicum dare uoluit; cuius quoque ſpem editionis nuper fecit, antea laudatus Vir maxime uenerandus D. MOSHEMIVS (**).

Caeterum, quae proximius ad utramque SONERI profeſſionem ſpectant, inculpatae doctrinae *ſcripta, necdum edita*, Philoſophici quidem argumenti plura FELBINGERVS in praef. ad Metaphyſ. promiſit; quaedam uero D. MAVR. HOFFMANNVS noſter in ſua bibliotheca olim (***) aſſeruauit, ſequentibus titulis:

1. Commentarius in Libb. VIII. Phyſic. ARISTOTELIS, An. 1607. manu SONERI exaratus.
2. Praelectiones Pathologicae ab An. 1607. ad 1616. habita.
3. Modus diſcendi Medicinam, et faciendi locos communes, An. 1609. auditoribus ſuis traditus.

Huius ultimo loco memorati opuſculi, ſane perelegantis, ac ſingulari cum iudicio compoſiti, duo diuerſis calamis deſcripta exemplarai poſſideo, et praeterea *epiſtolas aliquot SONERI MStas ad LEONARD. DOLDIVM*, Medicum Norimberg. t. t. clariſſimum.

(*) uid. otium Hanoueranum, in ſupplemento uitae Leibnitianae.
(**) in praefat. Tom. I. ſacr. ſermonum pag. penult.
(***) uid. beati OMEISII Gloria Academ. Altorf. p. 69.

CASPAR HOFMANNVS.

Qui magnorum et illuſtrium Virorum uitas atque res praeclare geſtas ſermone ſcriptoue complecti conantur, aut iubentur, omnem adhibere curam ſolent, ut exquiſitiſſimis uerbis, et magnifico ſententiarum apparatu grauem, et materiae tractandae ſatis congruentem orationem inſtituant. Hoc ipſum pariter mihi nunc obſeruandum uidetur, quando ad CASPARI HOFMANNI, ſuo tempore Medicorum facile Principis, *biographiam* ordine exponendam progredior. Veruntamen cum neutiquam Panegyricum concinnare, ſed nudam hiſtoriam ſcribere ſuſceperim, optime conſulturum me puto infantiae meae, ſi uerbis plane ſimplicibus enarrauero uitam illius Viri laudabiliter actam, et merita illuſtria, ut haec ipſa, nullius oratoriae commendationis indigentia, ſolius ſuae ueritatis radiarent luce. Id uero me inprimis ſollicitum habet, quomodo prolixam admodum, nec magis annorum numero, quam rerum geſtarum multitudine metiendam HOFMANNI uitam, inculta et ſimplici narratione ita digeram, ut neque abundet neque deficiat eadem. Et facile quidem modum mihi praeſtitutum excedere poſſet haec *biographia*, ſi me diffundere uellem ad congerenda in unum omnia, quae in *Programmate funebri* (*) tum etiam in duabus diſtinctis *Orationibus* a IO. GEORGIO VOLCKAMERO ſeniore (**) et IAC. PANCRAT. BRVNONE (***) habitis, commemorata leguntur; quamuis nequeat fieri, quin e ſingulis ſubinde quaedam, atque adeo integras ſententias et phraſes decerperem; quod inaequabilis hinc naſciturae ſcriptionis excuſandae cauſſa, ſicut in hac opuſculi mei parte, ita et in plerisque aliis, praemonere uolui.

Statim

(*) nimis ſane conciſo, uti moris tunc erat, cui tamen necquicquam HENNING. VVITTE, perparum PAVL. FREHERVS l. c. addiderunt, praeter mancam ſcriptorum recenſionem.

(**) Hanc SEBAST. SCHEFFERVS adiecit libris GALENI de ſanit. tuenda cum C. HOFMANNI comment. editis.

(***) De uita, moribus et ſcriptis C. HOFMANNI, quam ille huius Iſagogi medicae ſubiunxit.



CASPAR HOFFMANNVS,
Gothanus,
Medicinæ D. et P. P. in Academia Altdorfina
ab A°. 1607.
Natus d. 8. November A°. 1572. Denat. d. 3. Nov. A°. 1648.
Wolffg. Philip Kilian ſculpſit

Statim autem in principio opportunum eſſe ſentio humile iſtud meum ſcribendi genus, quando *humiles et obſcuros HOFMANNI natales* indicare teneor, quos nec ipſe Vir optimus occultauit, ſed in maiorem diuinae prouidentiae gloriam, ſingulari etiam carmine (*) celebrauit, exemplo ſane laudabili, quod in ruborem dare poſſet multos, etiam litteratos uiros, qui fortunae beneficio, aut quacunque ratione alia, de fece plebis emergentes, illico faſtidiunt audire, ne dum profiteri quicquam de humili ſua origine, et parentum ſorte. Patria equidem noſtro contigit ſatis inclyta, DVCVM ſcilicet SAXONIAE *ſedes*, *Gotha Thuringorum*, quae et inter alios eruditione et fama praeſtantes Viros, THOMAM REINESIVM, Medicum et Polyhiſtora illum protulit: HOFMANNVS autem ab iſta regione, patria ſua, *Tyrigetam* cognominare ſe conſueuit. Pater ipſi fuit *Ioannes*, faber ferrarius, pago Schueina oriundus, mater *Anna Leuffera*. Pauperculis adeo, ſed tamen honeſtis parentibus in hanc lucem editus eſt a. d. V. Idus Nou. A. C. cIↃIↃLXXII. quem ipſum non tam *Pariſienſis laniena* deteſtabilis, quam *nouae in Caſſiopéa ſtellae* obſeruatio memorabilem reddidit. Parum autem felici natus ſidere uideri poterat, qui primo nondum exacto aetatis anno patrem amiſit, ſuccedente in tutelam orphani materno auo, *Io. Leuffero*, qui educatum pro filio, et diſciplina domeſtica ad quaeuis honeſta inſtitutum, ſcholae ibidem oppidanae ſexennem tradidit, ubi in annum usque aetatis decimum nonum commoratus, de conſilio Rectoris ſcholae illius, M. IO. HELDERI, cum eiusdem commendatitiis ad MATTHAEVM DRESSERVM, Profeſſorem hiſtoriarum, ſe contulit in Academiam Lipſienſem; minus quidem fauente fortuna huic conatui. Subſidiis enim uitae admodum exiguis, aduerſa inſuper ualetitudine, ex conſtitutione loci, naturae ipſius minus conueniente afflictus, poſt ſemeſtre ibidem aegre peractum, nolens uolens domum rediit, ubi per totam hyemem anni 1591. male habens, adeo, ut hydrops etiam inſultum minitaretur, eo cum ſuis redactus eſt, ut quamuis reſtituta ualetudine, de abrumpendis tamen literarum ſtudiis cogitaret. Sed hic apparuit, non humanis, ſed Dei ſapientiſſimi conſiliis geſtum eſſe, quod ha-

(*) quod extat in poematibus ſacris num. 116.

ctenus geſtum fuit, praeuidentis iam tunc, quanto bono carendum foret Reip. literariae, ſi hoc Viro deſtitueretur, Venit in ipſius patriam, praeter opinionem, uere ſequentis anni 92. *Argentorato* ſtudioſus quidam pereruditus, mire praedicans *Vniuerſitatis Argentinae*, tum in ſe ipſa, pro tenuioris fortunae ſtudioſis commoditatem, tum uero Profeſſorum illius loci erga tales humanitatem, et ad inopiam illorum ſubleuandam promptitudinem. Mouit ea res tum ipſum, tum cognatos, et inprimis auum maternum, ut uiatico ſuppeditato inſtructus eo proficiſceretur. Paedagogiis in illa Academia priuatis uitam ita, ut in hoc genere neceſſe eſt, tenuiter ſcilicet ſuſtentauit; de curſu tamen ſtudiorum tanto minus interim remittens, quanto magis ipſum ſtimulaſſe conſentaneum erat *Virgilianum* illud:

- - - - Labor omnia uincit
Improbus, et durus urgens in rebus egeſtas.

Biennio ibi confecto, de ſententia fautorum ſuorum *Norimbergam* uenit. Hic iterum pro ipſo uigilans diuina prouidentia patronum ſingularem dedit MATTHIAM SCHILHERVM, inclytae Reip. ab arcanis literis, qui uirtutum HOFMANNI apud Viros Primarios laudator, effecit, ut menſe Auguſto anni 95. cum ſtipendio, et diſcipulis priuatis, *Altorfium* mitteretur; ubi ſeptennium ita peregit, ut ſibi ſimul et concreditis fidei ſuae laudabiliter prodeſſet. Docentes audiuit celeberrimos t. t. Profeſſores TAVRELLVM atque SCHERBIVM, huius praecipue doctrinam et erga ſe beneuolentiam iugiter per omnem uitam ſuam pie ueneratus. Eorundem praeceptorum ſuorum, tum et communi bonorum omnium fauore *ſtipendium* obtinuit *Aicholzianum*, medicinae ſtudioſis deſtinatum, quo cum in *Italiam* profectus, ſatis declarauit, *quam ſciret foro uti!* quippe qui et *Paduae* nihil praetermitteret, quod ad locupletandum ſtudii medici theſaurum facere uideretur, et cum triennio ibi conſumto, reditum in patriam meditaretur, alia etiam *Italiae* loca, rerum notabilium monumentis clara haud perfunctorie ſibi contemplanda duceret. Qua ratione, praeter aliorum multorum cognitionem, Italicae etiam linguae peritiam promptumque uſum ſibi comparauit

uit. Praeceptores *Pataui* coluit HERCVLEM SAXONIAM, HIER. FABRICIVM AB AQVAPENDENTE, IO. THOMAM MINADOVM, IVLIVM CASSERIVM PLACENTINVM, CAESAREM CREMONINVM et alios. Tandem *Germanicae nationis Conſiliarii* honore et officio per aliquot menſes functus, *Baſileam* ſe recepit, autumno 1605. ſingularem ibi expertus beneuolentiam clariſſimorum medicae Facultatis Profeſſorum, FELICIS PLATERI, CASP. BAVHINI, IO. NICOL. STVPANI, PETRI item RYFFII t. t. Decani. Mox *de malignis febribus* publice diſputauit, Praeſide STVPANO, quam diſſertationem, gratae memoriae teſtandae cauſſa *Rectori et Senatui Altorf.* dedicauit. Paullo poſt autem *theſes ſuas inaugurales de Lumbricis* ſolemni ritu defendit. Conſecutus hinc omnium applauſu *Doctoris Medici titulum*, et inter quatuor Candidatos primo loco renunciatus, *Norimbergam* reuerſus eſt circa feſtum Paſchatos anni 1606. ut patronis gratum, propter collata ſtudiorum adminicula, ſe exhiberet, horumque haud fruſtra impenſorum documenta daret. Quantum utraque iſta ſignificatione HOFMANNVS ſatisfecerit, uel inde licet cognoſcere, quod ſine mora, et unanimi omnium ſuffragio in *ampliſſimum Medicorum Collegium* fuerit receptus. Vix autem hanc ornare ſpartam coeperat, cum peſtilentia ingraueſceret *Altorfii*, autumno iam ingreſſo, et inter alios etiam NICOLAVM TAVRELLVM abriperet, omnis uero ſtudioſorum coetus terrore panico perculſus diſſiparetur: Tunc intercedente CVNRADO RITTERSHVSIO, Academiae Rectore, INCLYTVS SENATVS NORIMBERGENSIS decreuit, ut HOFMANNVS eo iret, atque ancipiti gladio iſti ſe opponeret. Nihil cunctatus ipſe, ſed in medium agmen occurſantium in meridie telorum ire paratus, *Altorfium* uenit, aut pugnare aut certae occumbere morti. Veruntamen DEO ſeſecus uidebatur; uix enim pedem Vir officioſus intulerat, cum ille miſericordiae ſuae recordatus, *Academiam* miſere afflictam et oppidum pene deſolatum reſpiciens, enſem in uaginam ſuam recondidit, et Medicum omnesque inquilinos certo periculo exemit; adeo, ut ſine caede et ſanguine uictoria potitus, paulo demiſſius, quam C. I. CAESAR, quondam, cum ſacratiſſimo Imperatore CAROLO V. diceret: *ueni*, *uidi*,

DEVS

DEVS VICIT! Hac itaque, etſi ſatis terribili occaſione, in gremium dulciſſimae ſuae nutriculae ſuſceptus iterum HOFMANNVS, cum totam hyemem Altorfii uiueret, et omnium Ordinum fauorem in ſe mirifice experiretur, non pauci etiam, et uoce et manu ſucceſſorem TAVRELLI eundem, animo bene praeſago deſignarent, commendatione ad ILLVSTRES VNIVERSITATIS CVRATORES decenter facta, illico et prompte ſecutus eſt horum conſenſus gratioſus, quem etiam ipſimet praeſentes in *Petro-Paulina panegyri*, An. 1607. liberaliter aperuerunt. Et quamuis in recipiendo munere, non minus arduo quam ſplendido, aliquandiu haeſitaſſet HOFMANNVS, et pro ſua modeſtia ſe uix idoneum declaraſſet, peruicit tamen denique partim honeſtiſſimum SENATVS ACADEMICI de ſe iudicium, partim ſolatium illud: *non tam debere ſe ſollicitum eſſe de uiriculis ſuis, quam de auxilio diuino.* Neque parum confirmauit animum ancipitem recordatio uerborum iſtorum PHILIPPI SCHERBII, cum per literas ualere HOFMANNVM, et cogitare iuberet: *fortaſſe fata locum ei pararent in Academia Altorfina.* Praeunte igitur auxilio diuino auſpicatus eſt officium Medici Profeſſoris d. 25. Auguſti, habita *de ratione diſcendi medicinam* elegantiſſima *oratione*, (*) quam ſequenti concluſit carmine:

Tu DEVS omnipotens, unus ſub nomine trino,
Cui ſoli paret quicquid hic orbis habet:
Dexter ades coeptis, fortunamque adde labori,
Quem ſubeo, nutu non tamen absque Tuo.
Nil ſine TE poſſum, Tecum uero omnia poſſum,
Omne mihi deorſum peruenit auxilium.
In me ſunt tenebrae, et nox obſcuriſſima; at in TE
Perpetuo radiat lucida flamma diei.
In me ſunt nugae, in me ſunt mendacia; at in TE
Verum uno eſt, nulla contemerandum opera.
Da mihi, da, uideam per Te ueriſſima ſemper,
Sed quae diſcipulis ſint ſimul utilia.

Sic

(*) ex qua pleraque huc relata, *de uocatione HOFMANNI*, tranſumta ſunt.

Sic ego, ſic illi, pleno celebrabimus ore
Atque animo laudes, o DEVS alme Tuas.

Ab his officii, tam pie ductis initiis, quid aliud expectari poterat quam felix fortunatusque progreſſus? ipſomet HOFMANNO totis uiribus connitente, ut ſpartam, quam nactus erat, decenter ornaret. Cum autem *Theoreticae* (quae dicitur) *Medicinae* publica profeſſio ei demandata eſſet, ad hanc ipſam paulo imparatior ſibi tunc uidebatur, ſecutus quippe monitum, quod diſcedenti olim SCHERBIVS, uiatici loco dederat: *ne immergeret ſe nimis profunde controuerſiis illis Theoreticis; ſed exerceret ſe potius in Practicis, ibique laudem aliquam quaereret.* Iam uero, praeter uotum, a practicis ad theoretica uocatus, altius inſinuare ſe debebat in hanc medicinae partem, quam non niſi leui brachio tractauerat antea. Quod ut contentius nunc ageret, inter alia etiam urgebant adoleſcentum quorundam auditorum excitatiſſima ingenia, quibus merito verebatur aliquid proponere, quod non ſatis bene cogitatum eſſet atque examinatum. (*) Quam ſuperuacua uero fuerit iſta ſolicitudo, breui docuit euentus, poſteaquam HOFMANNVS, et uiua uoce, et ſcriptis frequentibus, partimque ampliſſimis operibus, ſuam in *Theoria medica* exquiſitiſſimam eruditionem, non tantum diſcipulis, ſed etiam Orbi literato ita comprobauit, ut abundare etiam multis uideretur. Neque vero nudae ſpeculationi, et ex hac unice formatis ratiociniis attribuere nimium, multoque minus autoritatum praeiudicio adhaerere uolebat; cum dignum utique exiſtimaret, ut, *qui Philoſophi nomen iuxta cum Medici ambit, ex naturae potius libro, quam ex hoc illove diſcat, doceatue. Incepit igitur ſeponere inania hominum terriculamenta, et diſpicere non quid hic uelit, aut ille, ſed quid ipſa Natura. Interim, ſi huius uocem ſecutus eſſet auctor aliquis, ſequebatur et ipſe, non quod teſtis ille ſibi ſufficeret, ſed quod uideret habere illum firmas rationes, uti de* HIPPOCRATE *quodam loco loquitur* GALENVS. Ceterum ea ſemper ſtudiorum fuit HOFMANNI ratio, *ut, dum Muſas coluit ſeueriores, non contemneret Volupiam elegantioris litera-*

F

(*) Haec maximam partem propria ſunt HOFMANNI uerba, ex praefat. *tract. de Lienis uſu.*

literaturae; quin eouſque progrederetur ſingulis diebus, quo ſerenus ipſum comitaretur animus, permitteretque ſenilis corporis cura; imo non raro de induſtria quaeſiuit amoenitates, quod nec laboribus diffringi, nec otii rubigine conſumi voluit; ſic arbitratus, quod illud qui faciunt, non habeant corpori honorem eum quem debent; hoc qui committunt, animo male conſulant, quoniam otia dant uitia. (*) Inter alios ab iſta HOFMANNI mente profectos laudabiles conatus, ille fuit fortaſſe nulli ſecundus, quod ſaepicule auditores ſuos deduxerit in latiſſimum naturae hortum, agros inquam et ſyluas, ut inſpicerent ipſi et cognoſcerent plantas, quibus olim uſuri eſſent: (**) Publice autem, et poſt lectiones ſingulas, oſtendit illis easdem, ne contingeret, quod magni nominis Medicis iuxta et Pharmacopoeis contigiſſe meminerat.(***) Eodem prudenti ſalutarique conſilio commendauit diſcipulis ſuis *αὐτοψίαν*, *anatomicam*, et ἐγχειρήσεων cultum ſedulum; cauſſam hanc eſſe ratus (****) *ἀπαιδευσίας* ſeu *inſcitiae multorum, quod anatomica non tantum negligant in iuuentute, ſed et poſtea non diſcant recte atque ordine.* Vtrum uero frequentem ſatis habuerit HOFMANNVS occaſionem adminiſtrandi Anatomiam in cadaueribus humanis, tanto minus compertum habeo, quanto magis infrequentiam illius obiecit atque exprobrauit IO. RIOLANVS, eo etiam progreſſus audaciae, ut *nec umquam manum operi anatomico admouiſſe* HOFMANNVM affirmaret (*****) contra omnem fidem et ueritatem.

Non uacat, neque lubet perſequi longius, et minutatim enarrare, quid per ſingulas ſui muneris partes HOFMANNVS praeſtiterit: Vnum hoc breuiter, aſt uere omnino aſſerere poſſum, numquam remiſiſſe illum animi ardorem prouehendi Philiatrorum commoda, ut ingraueſcente quantumuis ſenectute, et cum prodire in publicum amplius non poſſet, domum tamen ſuam Auditores inuitaret, et comparentes fideliter

(*) Ex epiſtola ad P. M. SLEGELIVM, *pathologiae paruae* praefixa, p. 20.
(**) in dedicat. *Catalogi plant. indigen. Altorf.*
(***) in praefat. *Libb. de medicament. officinal.*
(****) in prooem. diatrib. *de uſu cerebri.*
(*****) *opuſc. Anatom.* Londini edit. p. 261. et p. 455.

ter doceret, ceſſationem uero ſuadentibus reſponderet: *Verum manebit Prophetae illud: Maledictus, qui facit opus Domini negligenter!* Fieri autem non potuit, ut in obſcuro lateret, et iuſtis honorum praemiis careret doctrinae et meritorum illius Viri magnitudo, certatim occurrentibus, et amicitiam HOFMANNI ambientibus, aut oblatam auide amplexantibus, doctiſſimis ac celeberrimis quibusque *Medicis* atque *Phyſicis*, non tantum inter *Germanos*, verum etiam *Belgas*, *Italos*, et cumprimis *Gallos*; quorum omnium, ſi catalogum texere, et praeclara de *Noſtro* iudicia recenſere vellem, aliquot uix ſufficerent paginae. Sunto Tibi L.B. documenti loco, pauciores fortaſſe ex multo pluribus, *Clariſſ. Virorum epiſtolæ ad* CASP. HOFMANNVM datae, quae *Richterianis* annexae legi poſſunt. Talem denique ſcias illum fuiſſe

— — *cui Phoebi chorus aſſurrexerat omnis.*

Taceo, quot, praeter Medicos, ex *Philologorum*, et qui humaniores Artes profitentur, ordine, amicos et cultores idem habuerit; e quibus IANVM GRVTERVM, MELCH. GOLDASTVM, IO. MEVRSIVM, MATTH. BERNEGGERVM, IO. KIRCHMANNVM, IO. HENR. BOECLERVM, IO. FREINSHEMIVM, IO. FRID. GRONOVIVM, CASP. DORNAVIVM, ELIAM EHINGERVM, CHRIST. BECMANNVM nominaſſe ſatis ſit. Singulare uero ſpecimen auctoritatis, qua pollebat HOFMANNVS, hoc reticere nequeo, quod GVIL. HARVEVS, iam tunc Medicus Regius, et Prof. Anatomiae Londinenſis, peregrinans, et HOFMANNI potiſſimum ſalutandi cauſa, *Altorffium* profectus, nuper abs ſe inuentam ſanguinis circulationem iſti, uelut arbitro, expoſuerit, haud leue pondus inuentioni ſuae acceſſurum confiſus, ſi aſſenſum illius tanti Viri poſſet impetrare; quamuis id fruſtra tentauerit, HOFMANNO ſcilicet doctrinae nouae lucem non admittente ac peruidente, propter tenebras *Theoriae ueteris Anatomico-Phyſiologicae*, quae nimis altas in mente ipſius radices egerat, quam ut facile potuiſſet euelli (*); cum alias ueri indagatio ipſi fuerit unica laborum cynoſura. Hic igitur humani aliquid paſſus eſt HOFMANNVS, et inueterato praeiudicio impeditus, haud recte conſuluit exiſtimationi ſuae, dum per

F 2 omnem

(*) Vid. eius epiſtola cum reſponſ. HARVEI, in Richterianis p. 808. 9.

omnem reliquam aetatem agnoſcere noluit ueritatem nobilis inuenti, quod coaeui ex Germanis HERM. CONRINGIVS, et GVERN. ROLFINCIVS, inter primos receperunt, ſcriptisque ſuis confirmarunt atque propagarunt.

Ceterum ne ab exteris ſaltem hominibus magni aeſtimatum putes HOFMANNVM, *Norimbergae* pariter atque *Altorfi* gratia et auctoritate haud uulgari floruit. *Rectoris Acad.* munus quater, *Decani ſua in Facultate*, poſt conditam heic Vniuerſitatem ſtudiorum, quinquies glorioſe geſſit, idemque officium primus ornauit, primosque in eodem Doctores Medicos creauit. Plurimum autem adiutus in eodem eſt beneuolentia Virorum Ampliſſimorum, GEORG. REMI atque RICHTERI, *Procancellariorum* de Academia noſtra inſigniter meritorum. Quanto penes utrumque in pretio fuerit, intelligere licet e literis ipſorum, quae inter citatas iam toties *Richterianas* exſtant. Tantopere igitur et in *Vrbe Norimbergenſi* et in *Lyceo* noſtro amatus cultusque HOFMANNVS, etſi non defuiſſent ei occaſiones mutandi ſolum, et alibi lautiora merendi ſtipendia, maluit tamen in umbra Muſarum noſtrarum conſeneſcere. Et hoc quidem animo etiam neglexit honorificam ſane conditionem, *Paduae profitendi Theoreticam Medicinam in prima Cathedra* (*), luculento modeſtiae et αὐταρκείας exemplo.

Ceterum non contentus, ut ipſe publico prodeſſet pro uirili parte ſua, operam quoque dedit, ut alios utiles Academiae Viros compararet, aut præpararet. Ita plane conſtat, HOFMANNO praeſertim intercedente et ſuadente, GEORG. NOESLERVM, et LVDOV. IVNGERMANNVM huc accerſitos: CHRISTOPH. uero ADAMVM RVPERTVM, adoleſcentem ingenuum, ſed orphanum pauperculum, adeo ſuſtentatum eſſe HOFMANNI liberalitate, ut non ſolum uictum et amictum, ſed et ſumptus in diſciplinam ſcholaſticam neceſſarios praeberet; quibus adminiculis in ornamentum *Palaeocomes* noſtrae potuit euadere eximius ille Poeta, Orator et Hiſtoricus, RVPERTVS. Sic paſſim bene faciendo ac merendo uitam ille tranſegit ad maturam usque ſenectutem. De

(*) Vid. Orat. VOLCKAMERI p. 52. conf. epiſt. ZEAEMANNI in Richter. p. 636. et IAC. PHIL. THOMASIN. de Gymnaſ. Patau. p. 294.

De hac ultima aetatis periodo antequam ſermonem inferam, nonnihil praemittendum eſſe puto de domeſticis HOFMANNI rationibus. Nimirum eodem anno, quo ad medicam profeſſionem huc acceſſit, in matrimonium duxit *Virginem lectiſſimam*, MARIAM MAGDALENAM, D. IO. BVSENREITI, *Reip. Nor. Conſiliarii*, *primique olim in Facultate Philoſophica* apud nos *Decani*, et MARIAE, ex Generoſ. FVRERORVM familia oriundae, filiam. Ex hac ſuſcepit ſequioris tantum ſexus prolem, ſex nempe filias, quarum quatuor, aut infantes, aut innuptae ſaltem deceſſerunt. Ex reliquis ANNA SIBYLLA nupſit CHRISTOPH. KERN, *Medico Gothano;* altera vero, SABINA, ANDR. LAVXIO, *Noriberg. Phyſico*, quae ſola cum matre pientiſſima ſuperſtes Parenti fuit, et uidua facta, ſecundum iniit coniugium cum LVCA FRID. REINHARTO, *Theol. Prof. P. et Eccleſiae opidanae Archidiacono.* Ceterum HOFMANNVS ſtatura parua, teneroque corpuſculo et parum firma ualetudine praeditus fuit: quamobrem aere expreſſae imagini ſuae ſubſcriptum carmen ita incipit:

Vis lector HOFMANNI *uidere uaſculum?*
Vah uitreum! vah imbecille uaſculum!

Nouerat tamen ingenitam imbecillitatem iſtam corrigere prudenti obſeruatione regularum artis ſalutiferae, quam profitebatur. Mature enim didicerat, *quod medice uiuere ſit optime uiuere*, *quia eſt cum uirtute uiuere:* cuius axiomatis explicandi et rite applicandi cauſa, ipſe *quatuor* habuit olim *Orationes.* (*) In conuictu quotidiano moderatus, at neutiquam ſcrupuloſus, tantum aſſumere conſueuit alimenti, quantum conficere poſſet commode, nihil indulgens uoluptati. Somnum uero meridianum ſibi habuit familiarem, ipſumque peculiari commendauit diſſertatione, ſancte teſtatus, quod per annos uiginti numquam minus aegrotauerit, quam cum accurato uictui ſomnum illum interpoſuerit. Per iſtam ergo ſobriam et conſtitutioni ſuae congruentem uiuendi rationem, diuina opitulante gratia durauit usque ad LXXVI. aetatis annum, ſine dubio etiam adiutus εὐθυμίᾳ, ſiue moderatione animi, qua inter officii curas, et calamitates domeſticas, ac bellicoſi temporis difficultates

 ille

(*) quae adiecta ſunt *Commentar. in Gal. Meth. med.*

ille gauiſus eſt : quandoquidem *Albis* ſeu *Philothecis ſtudioſorum* conſueuerat inſcribere : *Contingat id, quod expedit, non quod uolo.*

Attritum tamen laboribus et aetate corpuſculum non uno morborum inſultu tentatum, aliquando etiam paralyſi correptum fuit, permanente nihilominus animi uigore et laudata ἐυθυμίᾳ, quam non poſſum, quin ipſius HOFMANNI uerbis, ad IO. RHODIVM (*) perſcriptis haud illepidis repraeſentem. *Proximo die Veneris auſpicabor annum aetatis LXXIII, quo tempore utinam adeſſes et uideres pariter ſplendorem et miſeriam meam. Splendor quidem erit, ſi uolet DEVS, in ſolo anſere, quem die illo natali meo ſolenniter macto domeſticis ; Miſeria in deglutiendo, non quidem ſolida ſed liquida. Non enim poſſum ἀμύστιδυ exhaurire tantillum pocillum, ſed pitiſſare cogor. Ibi, ſi deerret uel una gutta, uideas ſilicernium illud periclitari de ſuffocatione! Habeo talium moleſtiarum aliquot: Interim bene comedo, ſed exiguum, bene dormio, bene egero, per diem obambulo cum baculo in domo ſatis ſpatioſa, ſine dolore, cum cautione accurata, ne cadam. Ex paralyſi enim leuiori dextri lateris facta ante triennium, tantum mihi ſupereſt debilitatis, ut ſi parum nutet pes, procumbam humi bos, ueluti ſideratus. Ideo in publicum non eo. Habeo et alia ſymptomata, quibus commemorandis nolo Te fatigare. Interim, quae Dei Opt. Max. gratia eſt, conſtant facultates principes, dextra haec aegre pingit literas, quas uides, ideo fero humaniter. Non diffiteor tamen obrepere aliquando taedium uitae; quale eſt illud, quod hodie in lecto mihi natum eſt, et quod do, ut chartam impleam :*

Quid ſibi uult tandem mos refractarius iſte,
Cum frenum mordes, ceu uiolentus equus?
Si DEVS in uita hac uult Te eſſe, et ferre labores
Impoſitos, quorſum ringeris et trepidas?
Mollis es, et uano conatu euertere tentas
Ardua diuini conſilia arbitrii.
Fac Tu, quod debes, et puncta in ſingula mortem
Exſpecta, ueniet certa Tibi, ueniet!

Seorſum

(*) in *Epiſt. Richter.* p. 522.

Seorſum qualem effectum ſenſerit HOFMANNVS ab inſultu paralytico, ipſe commemorauit alicubi (*) hunc in modum: *Cum A.* 1641. *ingruente uere mihi contigerit paralyſis leuior dextri lateris, non praegreſſa apoplexia, quamprimum aliquid accidit ad animum, ſiue laetum id ſit ſiue triſte, lacrymis inundant oculi, cum ſingultu.* Et cur iam fles! *inquit ſaepe uxor; cui ego:* Si in mea poteſtate eſſet, non flerem. Inualeſcente tandem et uires plane proſternente, *ſenectutis, quae ipſa morbus eſt*, *ἀδυναμίᾳ*, cum breui ſibi migrandum intelligeret, de uiatico coeleſti, SS. Coena, ante omnia ſibi proſpexit: Quod uitae adhuc erat reliquum, ſpe et patientia plenus ſuperauit, deuotiſſimum ad fata ſua obſequium, piis precibus aliisque indiciis Chriſtiano homine dignis declarauit et comprobauit; donec tandem III. Non. Nou. A. 1648. paullo poſt meridiem, ſpiritum DEO redderet, cum pridie Vxori chariſſimae, Filiae et Nepotibus ſuauiſſimis extremum Vale dixiſſet, ac de paterna DEI miſericordis ope, optime ipſas, et DEI uerbo et ſuo ipſius exemplo doctas, ſperare iuſſiſſet.

Clauderem nunc ego omnem de HOFMANNO narrationem, nihilque praeter *indicem ſcriptorum illius* ſuperadderem, niſi aequum et eruditis lectoribus gratum fore ducerem, ſi de *ſingularibus animi affectibus*, qui magno iſti Viro in partibus officii ſui, docendo et ſcribendo inprimis, familiares fuerunt, tum etiam *de controuerſiis*, quas idem multas atque uarias habuit, nonnulla commemorarem. Et primo quidem laudare plurimum conuenit *ſtudium Veritatis*, quod conſtanter in omnibus ſuis dogmatibus ac diſceptationibus adeo prae ſe tulit, ut nulla auctoritate, nec amicitia dimoueri potuerit, ſicubi deprehendiſſe ſibi uideretur *ſanctam ueritatem*, cuius uindicem *Adraſteiam* ubiuis obtendere ſolebat ſuis aduerſariis adinſtar *capitis Gorgonii.* Quo etiam factum eſt, ut complures, doctiſſimi licet grauesque Viri, aut conuicti ueritatis, aut ſeueriſſima eius aſſertione territi non auderent HOFMANNO contradicere, ſed ipſius iudicio aſſurgendum potius decernerent. Eodem ſtudio nec *Principibus in Philoſophia et Medicina Viris*, ARISTOTELI nempe et GALENO pepercit, ſed adductis eorundem ſententiis,

(*) in opuſc. pro Veritate p. 85.

tentiis, acerrime ſaepius inter ſe commiſit, quae audacia magnas tunc in foro medico turbas concitauerat, praeſertim cum animaduerteretur, *in Phyſiologicis*, de ſententia HOFMANNI, *tantum non ubique* ARISTOTELEM *anteponi* GALENO. Ita enim ille cenſuit (*) ARISTOTELEM *in obſcuro tantumque non maligno ſui temporis anatomiae lumine plus aliquando uidiſſe, quam* GALENVM, *et, qui hunc ſecuti ſunt longiſſimo agmine, Anatomicos, in manifeſta eius luce.* Quid? quod alibi non ueritus eſt *comparare oculos* ARISTOTELIS *cum* TIBERII *Imperatoris, quorum alia fuerit natura, quam ceterorum mortalium;* GALENI *autem cum promiſcua hominum multitudine.* Concludere tandem ſolebat, *in foro medico iure dominari* GALENVM, *Philoſophorum uero Coryphaeum eſſe* ARISTOTELEM. (**) Et hic quidem ſcopus praecipuus fuiſſe apparet opuſculi dramatici, quod inſcribitur: *Relatio hiſtorica iudicii acti in campis Eliſiis, coram Rhadamanto, contra Galenum &c.* Quamuis autem ſic magna contentione animi *ueritatem* indagauerit per omnem artis medicae Theoriam, et de illius inuentione ac demonſtratione multum gloriatus ſit HOFMANNVS, negari tamen non poteſt, quin humanae rationis imbecillitate lapſus, ac neſciens nolensque, praeiudicio quodam occaecatus, *interdum pro ueritate opinionem, pro Iunone nubem fuerit amplexus.* Communis haec mortalium conditio, aberrandi facile a ueritatis tramite, tanto facilius condonari debebat HOFMANNO, quanto diligentius ab iſto uitio, et ſibi et aliis cauere ſtuduit. Hoc uero multorum offendit et alienauit animos, quod *dictatoria quadam auctoritate* uteretur, ac uenditatis ueritatibus ſuis fidem non prompte habentes, et magis adhuc contradicentes paullo aſperius tractaret, meliora denique monentibus haud faciles ſemper praeberet aures, nec mutaret qualemcunque ſententiam ſuam; quod ſane circa *dogma de ſanguinis circuitu*, manifeſtum et antea oſtenſum iam eſt. Hanc ipſam maximi momenti ueritatem cum anno ſaeculi ſuperioris XXII. (adeoque aliquot annis ante quam HARVEVS in publicum prodiiſſet) HELVICVS DIETERICVS, poſtmodum *Archiater Elect. Bran-*

(*) Tractat. de Liene.

(**) Vid. *Brunon.* Orat. pag. 175.

Brandenburg. haud obſcure inueſtigaſſet in uiuis canibus diſſectis, et ſuo tunc Praeceptori HOFMANNO aperuiſſet, *perſuaſum ſe habere, uix alium ſanguinis motum, quam circularem eſſe poſſe*, (*) tantum abfuit, ut ille approbaret eam opinionem, ut praeter conſuetum et faſtidioſum *Pae* ſuum, nihil reſponderet DIETERICO, ſed iocoſe ſaltem interrogaret eum: *Visne fieri circulator?*

Conſimili peruicacia renuit etiam HOFMANNVS detectas a CASP. ASELLIO *uenas lacteas*, et earum exiſtentiam uariis quidem, aſt nihilo firmioribus argumentis inficiari ſuſtinuit, quam *circulationem ſanguinis* (**). Qua igitur ratione iſta obſtinatio, in repudiandis ueritatibus tam luculentis ac utiliſſimis, excuſari queat, ego ſane non uideo, niſi quod exiſtimem, optimum HOFMANNVM, de ueritate dogmatum priſcorum nimis firmiter perſuaſum, metuiſſe ſibi, ne nouis iſtis, et ARISTOTELI pariter ac GALENO penitus incognitis inuentis fidem adhibendo, grauiter offenderet *Adraſtéam* ſuam. Certe quod contra ſuam conſcientiam, et ueritatis nouarum rerum agnitionem, ſenili quodam faſtu, aut faſtidio, ſe oppoſuerit, credibile mihi non eſt. Tu, quisquis haec legis, uel me tacente, diſces hoc exemplo tanti Viri, quam facile poſſint labi homines, etiam magni, et ueritatis ſtudioſiſſimi, praeconceptae opinionis uitio! Nimirum *falſa ueris finitima ſunt*, et aeque, ſi non magis pronum eſt humanum ingenium, ad illa, quam ad haec, ipſius etiam ueritatis imaginatione, amplectenda. *Miſeris* equidem, aut profecto *miſerum ſolamen* cenſetur, *habere ſocios malorum*, aut errorum, quamuis idem frequenter uſu ueniat, et minor forſitan ſit lapſus HOFMANNI, quam ALEXANDRI MASSARIAE, celeberrimi quondam Medici Profeſſoris Patauini, quem non dubitaſſe ferunt profiteri; *malle ſe cum* GALENO *errare, quam cum aliis ſapere.* Ad circulationem ſanguinis quod attinet, non paucos in eadem reſpuenda ſocios habuit HOFMANNVS, haud minus contumaces, AEMILIVM PARISANVM, PRIMEROSIVM, PLEMPIVM, qui tamen ultimus errorem agnitum dimiſit tandem. IO. RIOLANVS uero, qui ultra omnes

G tunc

(*) Vid. ipſius DIETERICI *Vindicias aduerſus* TACHENIVM p. 194.

(**) *Apolog. pro* GALENO Lib. II. cap. 48. et 133.

tunc temporis Anatomicos et Phyſiologos ſibi ſapere uidebatur, cum animaduerteret, non poſſe penitus derogari fidem inuento tam euidenti, aſt idem ſuis ratiunculis ſatageret limitare, proh! quantum monſtrum peperit, cui ſimile inter dogmata Medicorum uix ulla uidit aetas, ut nihil opus ille habuerit exaggerandi monſtroſum in eodem genere commentum FORTVNII LICETI. Caeterum conſtantem illum, aut ſi mauis, obſtinatum HOFMANNI animum aegre tulerunt cordati plures uiri, quorum quaſi communem egit interpretem IO. VESLINGIVS (*): *Taedet me HOFMANNI noſtri, Viri tanti, qui ueterum ueſtigio nec ſenſu nec ratione ulla dimoueri poteſt.* Fortaſſe rem omnem acu (quod dicitur) tetigit P. M. SLEGELIVS (**): *Verum eſſe credo, praeceptorem illum meum (cuius nomen mihi ſemper magnifaciendum eſt) Philoſophum acutiſſimum, a cauſis iſtis fuiſſe inductum, ut ſilentio transmitteret nouam doctrinam, qua probata, uidebat operum ſuorum bonam partem fore mancam, et nouis laboribus reſtituendam, cui prouectior aetas uix ſufficiebat. Sic honori ſuo, tacendo conſuluit, quem alii ſcribendo in periculum adduxerunt. Eaedem ſine dubio cauſae Cl. quoque SENNERTVM remoratae ſunt, licet nouis opinionibus magis eſſet deditus, quam HOFMANNVS.* Hic ipſe tamen haud omnino tacuit, ſed contrarias rationes ſuas l. ſ. c. libere ſatis expoſuit, quamuis eo tempore quo SLEGELIVS iſta ſcripſerat, nondum uulgatum eſſet illud HOFMANNI opus. Quid ergo? Videtur non tam noluiſſe, quam neſciuiſſe dogmata illa noua conciliare cum ueteribus, pro ueritatis norma pridem receptis.

De *Controuerſiis*, quae interceſſerunt HOFMANNO cum Viris eruditis uariis, poſſem multa inſuper proferre in medium, ſed quae maximam partem, otioſae hodie uiderentur. Non mentiar, ſi dicam, quod bellum ille indixerit omnibus, qui ſuo aut ſuperiori ſaeculo de re medica ſcripſerant, et contra ueritatem ſibi perſuaſam ſtatuiſſe aliquid ab eo deprehenſi erant. Vnde nullius, et ne Praeceptorum quidem ſuorum, et quos de caetero plurimum ſuſpiciebat, amicorum auctoritatem quicquam

(*) in obſeruat. et epiſtolis p. 156.
(**) Comment. de ſanguinis motu p. 10.

quam curauit, ſicubi illam ob cauſſam carpendos arbitraretur. Et cum aliquibus quidem ſic ſatis benigniter egit, non paucos uero animoſius ac uehementius exagitauit, ut ἀληθείας, quod tantopere iactabat ſtudium, φιλονεικίας opprobrio exoſum multis redderet. Seorſim *Exercitationes*, quas uocat, *iuueniles*, totae ſunt in perſtringendis erroribus Scriptorum XVII. celebrium, et magna partim auctoritate conſpicuorum, inter quos etiam TAVRELLVS, CREMONINVS, FABRICIVS AB AQVAPENDENTE, Doctores HOFMANNI extant; facta tamen ubique ſeria deteſtatione odii cuiuscunque aduerſus perſonas. Talem quoque animum prodidit in ſuis *Inſtitutionibus Medicis* HOFMANNVS, quem ideo loquentem ipſum introducere iuuabit (*): *χρηστομαθείας paro Tibi, o adoleſcens initiande, de quibus hoc Tibi promittas uelim; primo quidem loco dicturum me ſimpliciter, et quam poſſum breuiſſime, quid Tibi ſequendum ſit; ſecundo autem quid fugiendum. Atque haec ſunt τὰ κίβδηλα priſcis dicta. Hanc in rem producam ſeptem Inſtitutioniſtas, ſeruato annorum ordine, quibus illi ſcripſerunt. In prima acie LEON. FVCHSIVS mihi erit: — In ſecunda DANIEL SENNERTVS ſtabit: — In tertia collocabo DVNCANVM LIDDELIVM: — In quarta GILBERTVM IACCHAEVM: — in quinta IO. HEVRNIVM: — In ſexta GREGORIVM HORSTIVM: — In ſeptima tandem IO. RIOLANVM patrem. Cum his omnibus agam ſine bile, acerbitateue ulla, ſed et ſine pompa: utrumque enim odi a pueritia.* Prae omnibus autem infenſum apparet fuiſſe HOFMANNVM doctrinae IO. FERNELII, quem populares eius, *Galli*, tantum non adorauerant, uelut *incomparabilem, adeoque dignum, quem omnes Medicinae ſtudioſi manibus tererent atque colerent, tamquam diuinitus miſſum Doctorem.* Ille uero contra oſtendere ſuſtinuit, *eſſe FERNELIVM inter eos ſcriptores, qui famam habent, non merentur.* Hac intentione concinnatus eſt *Anti-Fernelius*, ſcriptum acre, quod *Hofmannianis pro ueritate Opellis, Lutetiae Pariſiorum editis*, ut insereretur, detrectaſſe quidem uidentur *Medici Pariſienſes*, REN. MOREAV et GVIDO PATINVS, quorum ſub cura atque cenſura

 Opellae

(*) pag. 5.

Opellae iſtae prodierunt: Poſſideo tamen ego exemplar earundem, propria HOFMANNI manu a capite ad calcem curioſiſſime correctum, cui poſt *Ant-Argenterium* appoſite intruſus eſt ille *Anti-Fernelius*, quocunque demum loco typis expreſſus. Et uiuente quidem HOFMANNO uix ullus inter Gallos auſus eſt ipſum redarguere, praeter IO. RIOLANVM iuniorem, qui tametſi multis eum ſubinde ornauerit elogiis, concoquere tamen non potuit cenſoriam Viri ſeueritatem, quam exercuerat in FERNELIVM, et Patrem RIOLANVM (*). Verum enim uero idem, quod ille in HOFMANNO uituperabat contradicendi et carpendi ſtudium, adeo ſibi proprium fuiſſe locis innumeris patefecit, ut maledicentior nemo tunc exiſteret, utpote qui omnes Anatomicos, aut rudes et ignorantes, aut plagiarios atque exſcriptores ſuos, incredibili arrogantia declarare non ſit ueritus, propterea titulum promeritus *Hyenae Pariſienſis;* cum eodem auctore, IO. ſcilicet CASP. BAVHINO (**) leniore paullulum, ſi Dîs placet, conuitio *Canis Altorfini* notaretur HOFMANNVS noſter; forſan (ut in bonum iſtud conuertam ſenſum) quod hic fidelis acceptae ueritatis cuſtos, ipſam inuadentes allatrare, interdum mordere, ſed lacerare neminem uoluerit. Singularem inter Gallos amicum, et eruditionis ſuae aeſtimatorem HOFMANNVS habuit GVID. PATINVM, cui etiam praecipue debetur Librorum illius apud Pariſienſes editio. Non tamen continere idem ſe potuit, quin poſt prolixas HOFMANNI laudes, nimiam huius in *Fernelium* dicacitatem indignatus, aſperis ac duris admodum uerbis de ea conquereretur *in epiſtola ad* CAR. SPONIVM, Lugdunenſem Medicum, et inſignem pariter HOFMANNI amicum (***): Is uero propterea nihil alienatus, *Apologiae pro Galeno*, operi HOFMANNI poſthumo, ex bibliotheca PATINI, bona huius uoluntate in lucem edito, elogium tale adſcripſit (****):

Quas Tuis, HOFMANNE, curis actitabit gratias
Poſtera aetas, quot triumphos laeta decernet Tibi,

Verita-

(*) Opuſcul. Anatom. p. m. 428. ſequ.
(**) in epiſtolis *Bartholin.* Cent. II. p. 342.
(***) Tom. III. epiſt. VI. pag. 20.
(****) proxime poſt dedicationem operis.

Veritatem uindicare a fraude quod ſategeris,
Ac labantem ſuſtinere gloriam Galenicam,
Impetus aduerſus omnes improbe carpentium?
Magnus ergo ueritatis, qua nihil diuinius,
Pergameorumque uindex manium uocabere.

Vnicum adhuc annotare lubet, quod, cum HOFMANNVS, inter alia ſcripta etiam perſtrinxiſſet *Inſtitutiones Anatomicas* CASP. BARTHOLINI, huius filius, THOMAS, factam Parenti qualemcunque iniuriam uindicare quidem aggreſſus ſit, peculiari Oratione (*); ea tamen uſus modeſtia, ut ad laudem potius quam ad uituperium HOFMANNI dixiſſe uideatur. Ignoſcat mihi L. B. quod tam moderatum et eximium TH. BARTHOLINI iudicium maiori ex parte proferam, et Colophonis inſtar heic addam. *Vir ſaeculi huius ſine controuerſia maximus, CASPAR HOFMANNVS, Medicinae in Academia Altorfina Profeſſor magni nominis, et immenſae eruditionis, praeclare de uniuerſa medentum Schola et Galeno meritus, Parenti noſtro non minus de Rep. literaria merito, mordaci ſcripto inſultauit. Effari tamen non poſſum, quantum illi Seni publico nomine debeam. Non diffundam me in tanti Viri laudes, qui cunctis innotuit, quocunque ſub axe mundum ſpectemus. Fidem meam apud uos franget odii ſuſpicio, cuius tamen cauſſas procul habeo. Serio loquor. Virtutem etiam in hoſte admiramur. Nec diffiteri debemus, hunc Germaniae Polyhiſtorem, tamquam Phoenicem, uix ſemel anno quingenteſimo naſci. Mediocria et in turbam naſcentia, ſaepe fortuna producit, eximia uero, qualia in HOFMANNO ueneramur, ipſa raritate commendat. Cedro digniſſima ſunt, quaecunque calamus HOFMANNI hactenus producit — . Caeterum ut mortalem ſciret Orbis, plurimos elegantiſſimo corpori naeuos aſperſit, et ut acutius ingenium cerneres, acutiſſimis dentibus, aetate nulla detritis, eruditos non paucos aggreditur. An id ueritatis factum amore, ſicut ubique ad rauim usque clamat, an contradicendi purigine? penes cordatos cenſores eſto iudicium* etc. Atque iſta quidem eruditiſſimus THOMAS BARTHOLINVS, ſuperſtite adhuc

(*) quae extat in uolumine *Orat. Bartholin.* p. 20. et ſequ.

HOFMANNO; cuius obitum non multo poſt idem in oratione alia (*) uerbis honorificis deplorauit. *Mortuo* uero (quod dicitur) *leoni* non unus fortaſſe *inſultauit lepus:* Quo dicterio etſi neutiquam notatum uelim grauiſſimum ſane Virum, IO. DAN. MAIOREM, neſcio tamen quid permouerit eundem, ut acri admodum cenſura (**) laceſſeret *Hofmannianos manes*, propter dicam olim, inter alios *Inſtitutioniſtas*, DANIELI SENNERTO ſcriptam, cum ille debebat, aut certe poterat ſcire, ſaluo diſſenſu iſto, magnopere ſemper ab HOFMANNO cultum fuiſſe SENNERTVM.

* * *

OPERA CASP. HOFMANNI EDITA.

1. *De uſu Lienis*, ſecundum ARISTOTELEM, Lipſiae 1615. 8uo.
2. *De Ichoribus*, et in quibus illi apparent, affectibus, collectanea, Lipſiae, 1617. 8uo.
3. *De uſu Cerebri*, ſecundum ARISTOTELEM, Diatriba, Lipſiae, 1617. 8uo.

Hi tres tractatus denuo et coniunctim editi ſunt Lugd. Bat. 1639. *in* 12*mo*, *cum indice.* (***)

4. *Variarum lectionum Libri VI.* in quibus loca multa DIOSCORIDIS, ATHENAEI, PLINII, HIPPOCRATIS, ARISTOTELIS, GALENI, aliorum, qua illuſtrantur, qua explicantur, Lipſiae, 1619. 8uo.
5. Commentarii in GALENI *de uſu partium corporis humani*, Libb. XVII. cum uariis lectionibus in utrumque codicem, Graecum et Latinum, Francofurti, 1625. fol. (****)

6. Apo-

(*) pag. 77.

(**) in epiſtola ad ABR. KITTELIVM, orationi huius de Encomio Sileſiae adiuncta, VVitteb. 1661. 4to.

(***) Meum exemplar, ab ipſomet autore infinitis locis caſtigatum, nouae aliquando editioni deſtinatum uidetur: Cuiusmodi etiam mihi ſunt exemplaria Tractatuum, num. 9. 11. et 16. indicatorum.

(****) De hoc opere M. A. SEVERINVS in Zootom. p. 286. GALENVM *de uſu partium euoluas, ſed non ſine Commentariis Clariſſ. Viri CASP. HOFMANNI, qui Galenum hoc noſtro ſeculo ſtrenue interpretatus eſt, ut eiusdem Genium, ſi Pythagoricum dogma ſtet, dicant doctiſſimi quique.* Confer. H. CONRINGII Introduct. in Art. Med. Cap. IV. §. 17.

6. Apologia Apologiae pro Germanis, contra GALENVM: qua ſimul uentilatur quaeſtio: Quibus in morbis uenae ſectio purgationi ſit praeferenda? Ambergae, 1626. 4to.

7. *De Thorace, eiusque partibus*, Commentarius tripartitus, in quo diſcutiuntur praecipue ea, quae inter ARISTOTELEM et GALENVM controuerſa ſunt. Francof. 1627. fol.

8. *De Generatione hominis*, Libri IV. contra MVNDINVM MVNDINIVM, adiecta ſententia eiusdem, *de Formarum origine*, ſecundum ARISTOTELEM. Francof. 1629. fol.

9. CLAVD. GALENI *de oſſibus*, ad Tyrones Liber, Graec. Lat. cum Notis perpetuis CASP. HOFMANNI, Francof. 1629. fol.

10. *Pathologia parua*, qua Methodus GALENI Practica explicatur, quam olim *Franciſcus Friſimelica* promiſerat, Ienae, 1640. 8uo.

11. Animaduerſiones in COMITIS MONTANI Libros quinque de Morbis, et THOMAE ERASTI Anatomen eorundem, nec non Ant-Eraſtica eiusdem MONTANI, cum auctario de cauſa continente. Amſtelod. 1641. 12mo.

13. *De Locis affectis* Libri tres, quibus praemiſſus ſeptenarius controuerſiarum huc facientium, Norimbergae, 1642. 12mo.

13. Relatio hiſtorica *Iudicii* acti in Campis Elyſiis coram Rhadamantho *contra* GALENVM. Ibid. anno et forma iisdem.

14. *Inſtitutionum Medicarum* Libri VI. Lugduni, 1645. 4to.

15. *De Medicamentis Officinalibus*, tam ſimplicibus quam compoſitis, Libri duo, acceſſerunt quaſi Paralipomena, quae uel ex Animalibus, uel ex Mineralibus petuntur, *opus triginta annorum*, Pariſiis, 1646. 4to, item Francofurti 1666. 4to. (*)

16. *Pro ueritate*: quo tractatu continentur opellae tres I. *Adraſtéa* GALENI. II. Exercitationes iuueniles, contra PARISANVM aliosque

(*) In praefatione autor exagitat uehementer Chimiam, eiusque cultores, et uſum in re Pharmaceutica, propterea *miſo-chimicis* adſcribendus. De ipſo autem opere iſto PETRVS HOTTON in ſerm. de fatis rei herb. p. 30. ſic iudicat: *CASP. HOFMANNVS ſuo, de Medicamentis Officinalibus, uicturo in ſecula Commentario, omnem ſibi deuinxit poſteritatem.*

que XVII. Neotericos. III. *Ant-Argenterius.* Item *Anti Fernelius :* nec non AVGVSTINI BVCCII Diſputatio de Principatu partium corporis : LVDOVICI BVCCAFERREAE Oratio de eodem negotio : IVL. CAES. CLAVDINI quaeſtio de Sede Facultatum principum, *cum Epicriſi* CASP. HOFMANNI. Eiusdem Collatio doctrinae ARISTOTELIS cum doctrina GALENI *de Anima : Pathologia parua :* Denique *Reiectanea Pathologica,* de Morbis Formae et Materiae, a FERNELIO ARGENTERIOque per ſomnium uiſis. Lutetiae Pariſiorum, 1647. 4to.

17. *Inſtitutionum ſuarum Medicarum Epitome*, in ſex libros digeſta, Pariſiis, 1648. item Francof. 1670. et Heidelbergae 1672. 12mo.
18. *Iſagoge Medica*, duabus orationibus (*) propoſita, edente IAC. PANCR. BRVNONE, cuius acceſſit *Oratio de Vita, moribus et ſcriptis laudati* HOFMANNI, Curiae Nariſc. 1661. item Lipſiae 1664. et 78. in 12mo.
19. Tractatus *de febribus*, Tubingae, 1663. 12mo.
20. *De Calido innato, et Spiritibus*, Syntagma, cum praefatione *de Sectis Philoſophorum*, Francof. 1667. 4to.
21. *De partibus ſimilaribus*, Liber ſingularis, defectum ſuppleturus eiusdem argumenti libri, quem GALENVS ſe ſcripſiſſe ait. Ibidem, anno et forma iisdem.
22. *Apologiae pro* GALENO, ſiue χρηστομαθειῶν Libri III. Tomus prior continet Iſagogica et Phyſiologica : poſterior Pathologica, Lugduni, 1668. 4to. (**)
23. *Praxis Medica curioſa*, hoc eſt GALENI *Methodi Med.* Libb. XIV. uerſio noua, Commentariis et caſtigationibus illuſtrata. Item GALENI *de ſanitate tuenda* Libb. IV. noua uerſio, cum Commentariis (***). Accedunt *Orationes* C. HOFMANNI IV. de Dicterio illo;

(*) *de ratione diſcendi Medicinam, et de Officio Medici.*

(**) Hoc, ab ipſomet Autore magni aeſtimatum opus, iam A. 1635, conſcriptum patet ex praefatione ipſius.

(***) Priorem Tractatum A. 1646. alterum A. 47. elucubratum; praefationes deſignant.

illo; *Medice uiuere eſſe peſſime uiuere*: Item IO. GEORG. VOLCKAMERI Oratio in HOFMANNI *laudem*: Omnia curante SEBAST. SCHEFFERO, Francof. 1680. 4to.

Poematum ſacrorum Centuriae IV. ab interitu uindicatae per Generum, LVC. FRIDER. REINHARTVM, Altorfi, 1651. 8vo.

Digreſſio in Circulationem ſanguinis, inter opuſcula IO. RIOLANI Pariſ. 1653. edita, nihil aliud eſſe uidetur quam particula ex *Apolog. Galen.* ſ. c.

Orationes duae, cum *Programmate*, continentur in *Act. publicat. Priuileg. Doctor. Vniuerſit. Altorfinae*, 1623.

Epiſtolae tres ad SIGISM. SCHNITZERVM, extant in huius Ciſta Medica: Multo plures, ad uarios perſcriptae, in RICHTERIANIS: Nec pauciores ad THOM. REINESIVM, in huius uolumine Epiſt. Lipſiae, A. 1660. 4to.

Quod SCHERBII *Theſes Medicas*, tum etiam, ex eiusdem bibliotheca, *Syluam medicament. compoſit.* incerti autoris ediderit HOFMANNVS, iam ſupra retuli. Idem uero quoque recenſuit et imprimi curauit LVDOV. IVNGERMANNI *Catalogum Plantarum, quae circa Altorfium ſponte naſcuntur*, A. 1615. 4to.

Praeterea HENNINGVS VVITTE *in Biograph. Med.* adſcripſit HOFMANNO noſtro *Tractatum de Thermis Hirsbergenſibus* (qui continetur in opere Conſil. Med. Scholziano) tum et *Orationem de imminente barbarie.* Veruntamen utriusque uerus autor fuit CASP. HOFMANNVS, *Leoberga-Sileſius*, primum in Acad. Viadrina Profeſſor, deinde Elect. Brandenburg. Archiater. Et hic quidem iſtam *Orationem* (cuius πρωτότυπον oſtendere cuilibet poſſum) edidit Francof. Viadr. A. 1578. quo tempore Noſter erat puer ſexennis: Quod ideo commemorandum cenſui, ut ſuum cuique redderetur, et quodammodo corrigeretur nuper etiam ſcripto publico repetitus, circa dictae Orationis autorem, error: cui haud leuiorem commiſit idem VVITTENVS, quando *Tractatum de Cardianaſtrophe*, Lipſiae 1671. 4to editum, Noſtro pariter attribuit, qui omnino debetur FRIDER. HOFMANNO, Seniori, Medico quondam Halenſi.

DISPVTATIONES ACADEMICAE

a CASP. HOFMANNO *conſcriptae, aut ſub Praeſidio eiusdem habitae, (quotquot inuenire hactenus ego potui.)*

1. Lectiones caniculares, *de Febribus malignis*, Praeſide IO. NIC. STVPANO, publico examini ſubiicit CASP. HOFMANN, Gothanus, Baſil. 1606. d. 22. Sept.
2. Theſes *de Lumbricis*, quas pro priuilegiis in Medicina doctoralibus diſputauit Baſileae, 1605. d. 8. Nou.
3. Theſes *de Medicina*, Reſp. *Hieron. Viſcherus*, Nor. 1608.
4. De *Naturae officio* in ſanitatis negotio, Reſp. *Georg. Seidelius*, Gryphisvvald. 1613.
5. De *Vſu Lienis*, ſecundum ARISTOTELEM, Reſp. *Io. Oberdorffer*, Graecenſis Styrus, 1613.
6. De *Alimenti excrementis*, Reſp. *Io. Beutel*, Ambergenſis, 1613.
7. De *Vſu Venarum et Arteriarum meſaraicarum*, Reſp. *Gregor. Queccius*, Altorf. 1616.
8. De *Neruorum origine*, Reſp. *Io. Georg. Fabricius*, Nor. 1615.
9. De *Spiritibus*, Reſp. *Gregor. Queccius*, 1616.
10. De *Vſu Venae arterioſae et Arteriae uenoſae*, Reſp. *Tobias Pontanus*, Vratisl. 1618.
11. De *Hepate* eiusque uſu, ſecundum ARISTOTELEM, Reſp. *Daniel Bucretius*, Vratisl. 1619.
12. De *Cerebro*, et *ſpinali medulla*, et *Neruis*, Reſp. *M. Heluicus* Dieterich/ Kyrttorffenſis Haſſus, 1622.
13. De *Pulmone* eiusque uſu ſecundum ARISTOTELEM, Reſp. *Petrus* Weißenſehe/ 1622.
14. Theſes de *Sanguine*, Reſp. *Io. Val. Maier*, Oettinga-Sueuus, 1622.
15. De *Generatione hominis*, Reſp. *M. Io. Eichorn*, Eisfelda-Fr. 1623.
16. De *Partibus ſimilaribus humani corporis*, Reſp. *Io. Roctenbeccius*, Nor. 1625.
17. De *ſomno meridiano*, Reſp. *Gebhard. Gertnerus*, Nor. 1625.

18. De

18. De *Facultatibus naturalibus miniſtrantibus*, Reſp. *Georg. Erneſt. Heher*, Nor. 1626.

19. Problema, *cur natura fecerit duo uaſa ſanguiflua, Venas et Arterias?* Reſp. *Nicol. Oelhafius*, Dantiſc. 1627.

20. Problema, *an ſpiritus nutriantur externo aere?* Reſp. *Paul. Marqu. Slegelius*, Hamburg. 1627.

21. *Methodus docendae ac diſcendae Medicinae*, Reſp. *Chriſtoph. Nicolai*, Nor. 1641.

* * *

Reſtat, ut exponam ἀνέκδοτα HOFMANNI SCRIPTA, quorum ſane tanto magis neceſſaria eſſe mihi uidetur commemoratio, quanto magis de aliquibus eorum fama dudum percrebuit, et quo maior in Orbe Literario fuit exſpectatio, ne nunc quidem deleta penitus ex animis recte intelligentium. Illo autem nomine neutiquam indigito *literas, propemodum innumeras*, ad permultos, quaqua patet cultior Orbis, inclytos doctrina uiros, ab HOFMANNO exaratas; ut uel harum conſideratio ſatis eſſe poſſit ad perſpiciendum non minus expeditiſſimum quam laborioſiſſimum Viri ingenium; quem non dubito plura ſcripſiſſe quam alii, inter eruditos etiam connumerati, unquam legerunt. Habeo ego ultra centum *epiſtolas* HOFMANNI *manu ſcriptas*, ad unum LEON. DOLDIVM, iam alibi laudatum, Medicum Norimbergenſem eximium; unde coniecturam facere licet, quantus numerus conſimilium ſchedarum apud alios, me forſan in colligendo feliciores, inueniri queat.

Ad reliquas uero *lucubrationes HOFMANNI, hactenus ineditas*, quod attinet, ipſe paſſim mentionem fecit *Commentarii de humoribus*; neque tamen mihi conſtat, quo peruenerit αὐτόγραφον? cuius quidem poſſideo ἀπόγραφον, ſed ualde uitioſum, in Graecis praeſertim uocabulis et phraſibus. Volumen eſt non exiguae molis in quarta (quam dicimus) forma, titulum prae ſe ferens, CASPARI

HOFMANNI *de humoribus corporis humani liber tripartitus*, *Anno*

ChrIſte IVVa, saeVIt Vaſto Mars DIrVs In orbe!

Quo *Chronoſticho*, tam elaborationis annus (nempe 1630.) quam bellicae illius temporis calamitates ſcite exprimuntur. Acceſſit *index geminus rerum notabilium, Graecus et Latinus*: Ad calcem operis hoc epigramma legitur:

Attigit humorum codex Hofmannius oras,
Humectus Clariis et madefactus aquis.

Promiſit inſuper HOFMANNVS (*) *Poſt-curas, quaſi geminas, Variis Lectionibus ſociandas*; ſed quousque perfecerit easdem, aut ubi lateant? compertum neutiquam habeo. Longe plura uero atque certiora referre poſſum de THEOPHRASTI ERESII *ſcriptis Botanicis*, tum et de *omnibus GALENI operibus*, quae ſtupendo plane ſtudio et accuratione ſumma praeparauerat HOFMANNVS, ut ingenti emolumento rei literariae in lucem publicam prodirent. Aſt ô fatorum inclementiam, ac temporum iniquitatem! uterque foetus, quam optime formatus et plane maturus, nihil expectabat praeter beneficam Lucinam; quae ut auſpicato compareret, nullis quidem precibus pepercit infelix parturiens, quin et obſtetricaturas nusquam non implorauit manus, aliquoties affulgente etiam ſpe, intra et extra Germaniam, ſed ubique tandem fallente; quemadmodum ex *Richterianis* pariter ac *Reineſianis epiſtolarum uoluminibus* complura poſſent afferri documenta. Et mihi ſane ſic uidetur, uix unquam maiori iniuria et infelicitate tamdiu remoratos eſſe ullius foecundi ingenii partus, poſteritati ualde profuturos, *quam Hofmannianos* iſtos: ut probe in ipſos conueniat *Ezechiae Regis* exclamatio (**): *Venerunt filii ad partum, et uires non habet parturiens!* Accidit aliquando, ut furtiua manu ſurriperetur GALENI pars quaedam; de quo caſu non poſſum, quin addam ipſius afflicti

HOF-

(*) in Praefat. Epitom. Inſtit. Med.

(**) IV. Reg. Cap. XIX. 3.

HOFMANNI querelam ad GEORG. RICHTERVM (*) perſcriptam: *Vnica haec cura me coquit; quid poſt mortem meam futurum erit de GALENO meo? Quod enim fortaſſis neſcis, tam inuidetur mihi eius edendi fama, ut ſubmiſſus fuerit manticularius, qui ſectionem iſtam, quae* τὴν σημειωτικὴν *continet, clanculum ſubtraxerit, ut hac ratione opus fieret mancum et inutile. Hanc ob cauſſam cum euertenti mihi domum totam ſuperueniret RVPERTVS noſter, adeo credere noluerit, ut paullo minus pro deliro me haberet. Hui uero! dicebam, hem tibi claues, ô ſapiens, excute, ſi uis, omnes forulos, omnes arcas, etiam illas, in quibus libri non ſunt, et experire fortunam tuam! Fecit, ſed nihil profecit, adeo ut iam non credat propriis oculis. Deus uero meus tam bene uoluit GALENO, ut ſubmiſerit uetus exemplar, e quo reſarciui damnum. Hoc ſi euenit me uiuo, quid denique fiet me mortuo?* Nec fruſtra fuiſſe illum metum, probauit euentus. Nimirum optimus ſenex, de utriusque operis editione, per ſemetipſum efficienda, deſperans, curatorem poſthumis quaeſiuit ac tandem inuenit in IO. GEORG. VOLCKAMERO, auditore nuper ſuo, deinde Medico Norimbergenſi, ad ſummam auctoritatem et gloriam euecto, qui GALENVM aeque ac THEOPHRASTVM gratus quidem, neque tamen gratis accepit, ſed iuſta pecuniae ſumma redemit, daturus ſcilicet in lucem, reparata Germaniae, poſt bellum, felicitate temporum. Et profecto nihil intentatum reliquit nouus tanti theſauri poſſeſſor, ſed eruditos uiros, perinde ac Bibliopolas, ad excudendum ſaltem GALENVM inuitauit, facta etiam publice per idoneos interpretes, gemina ſignificatione, quam ut heic infererem integram, eo minus dubitaui, quo magis uniuerſa operis illius ratio L. B. patere hinc poterit.

(*) in epiſt. p. 272.

IPSA INVIDIA MAIVS
OPVS
Quod, ut monumentum aere perennius,
exegit
VIR Incomparabilis,
CASP. HOFMANNVS,
Philoſophus et Medicus, et in Vniuerſitate Noribergenſium Altorfina Profeſſor, per XLI. annos longe Celeberrimus,
Tredecim omnino annorum ſpatio, ſtupenda induſtria impenſo,
primum
Magnis CL. GALENI uoluminibus, quae extant ex editione Aldina, omnibus
GRAECIS.

Ea minutatim percurrendo per apices ſingulos, periodos omnes, per ſuas interpunctiones manu ſua notando, obliterando eas, quas correctiſſima exemplaria Graeca in bibliothecis Anglicanis, Gallicis, Italicis, Hiſpanicis, Germanis, conſtanter reſpuerant, nectendo, quae alicubi disiecta erant, addendo, quae neglecta, ad ſingulorum capitum calcem uariantes lectiones, atque inſignes, e ſuo ingenio natas, notas adiiciendo.

Deinde, eadem prorſus induſtria,
LATINA.

Venetiis a Iuntis edita reuidendo, reſecando, quae ſuperflua erant, facilius uertendo, quae infeliciter Interpretes tentauerunt, perque ſingulos paragraphos in margine diſtribuendo, ut prompte, quae in copioſum adiectum indicem digeſſit, graecum latinumque indefeſſo ſtudio quascunque materias apte congerendo, inueniri queant.

Hoc pene ſupra unius hominis vires, ab uno tamen homine, etiam
SENE VIRO
Enodatum emaculatumque, nitideque ſatis perpolitum
OPVS,
Magno ſuo aere, a Viuo adhuc Authore et oblatum, et redemtum, etſi ſibi Soli ſuisque proprium, grande nec dum uiſum Cimelium premere poſſet

Nobil.

Nobil. Experientiſſimus et Excellentiſſimus

DOMINVS

IOHANNES GEORGIVS VOLCKAMERVS,

Med. Doctor, Decanus Collegii Medicorum Norimbergenſium, et Viſitator Senior Officinarum Pharmaceuticarum.

Religioni tamen ſibi duxit, prorſus abſcondere; multo uero potius ut poſteritas et beati Authoris ſtupendam induſtriam, et Nob. Emptoris, et adhuc Poſſeſſoris fidelitatem,

grata noſceret mente, et pro eo, ac par eſt, depraedicaret,

Publicae luci, et tolerabili ſiue pretio, ſiue certis exemplaribus recipiendis

TYPOGRAPHIS

offert

idque iam nunc lubentius,

Poſtquam pretium eorum tanti factum eſſe,

conſtat, apud Exteros etiam,

ut illuſtris IACOBVS GAFFARELLVS, Gallus,

Magnus Magni Operis Aeſtimator,

Numerum iam aliquot Annotationum, in quinque ſaltem Volumina Graeca Galeni a Summo Medico HOFMANNO factarum typis ſignificauerit,

Plus utique profuturus,

Si ipſa illa Volumina Graeco-Latina accurate correcta, diſtincta, interpuncta eleganti manu Annotationum Authoris una promittere haberet.

Quae, totius Facultatis Medicae Teſtimonio,

de manu in manum ſibi ſoli tradita, hactenusque ſedulo aſſeruata bono publico nunc minus inuidebit

Genuinus omnium operum emaculatorum

POSSESSOR.

Calend. Martii M DC LXV.

D. VV. P. et P. P. (*)

COLLE-

(*) h. e. *Daniel VVulferus*, Paſtor et Prof. Publ. Norimbergae ſcilicet in Auditorio Aegidiano.

COLLEGII MEDICI TESTIMONIVM,

De iuſta genuinorum, in omnia Magni GALENI opera, Commentariorum poſſeſſione.

QVanquam inter belli tricennales uaſtitates, rapinas, incendia, una cum dilecta Patria communi, Germania, liberales artes extremum halitum ducere, et, propediem expiraturas, multi crederent: ſingulari tamen indultu DEVS, pro Clariſſimo et Excellentiſſimo Dn. D. CASPARO HOFMANNO, in Inclyta Norimbergenſium Academia, Altorfii P. P. excubias quaſi egit, ac halcyonia conceſſit, ita quidem, ut admirandum et pene ſtupendum GALENI opus Graeco-Latinum, quaſi ſupra uires et hominum captum, ex uariis lectionibus concinnare, Interpretum ſelectiſſimorum, tam impreſſorum, quam manuſcriptorum, ſententias conſarcinare, ac in decem ſectiones, ſiue uolumina, pulcherrimo, et, ad artem Medicam perdiſcendam, aptiſſimo ordine dirigere potuerit. In quibus, ut συντόμως dicamus, Nouas quidem ſententias et opiniones Interpretum temere non reiecit; nec ueteres, ſine cauſa, caſtigauit: deterſis erroribus typographicis, qui in editionibus Galeni per Iuntam, Frobenium, caeteros, irrepſerant; reſectis quinetiam libellis nothis, qui uel ipſi Galeno noſtro, uel Hippocrati, falſo fuerunt adſcripti: additis locis parallelis, ac indice copioſo, tanta quidem dexteritate, ac indefeſſo labore, ut omnibus iis, qui in operibus Galeni unquam deſudarunt, palmam facile praeripuerit. Cum itaque tam egregium, et omnibus numeris abſolutum, a Gallis, Anglis, et aliis, multoties expetitum opus Clariſſimus et Excellentiſſimus Dn. D. IOHANNES GEORGIVS VOLCKAMERVS Collega noſter honorandus, non uili pretio, ab Autore, dum uixit, redemtum, publico largiri commodo cupiat, ut μεγαλοπρέπειαν hanc, et conatum δαπάναις μεγάλαις καὶ πρέπουσαις adiuuent, procurent, promoueant, optandum: Quod et ipſi, et Operi, uoto publico fauemus.

VI. Martii MDCLI.

Decanus et Collegium Medicum
Reipubl. Norimbergenſis.

Verum

Verum enim uero neque iſtis adeo luculentis ſignificationibus, ſeriisque obteſtationibus obtentum eſt quicquam, per plura etiam luſtra incaſſum expectante, tandemque diem ſuum obeunte laudatiſſimo VOLCAMERO. Huius autem gener digniſſimus, *ὁ χαριέστατος* D. GODOFREDVS THOMASIVS, Collega et Amicus mihi multis nominibus colendus, non magis haereditario iure impetrauit, quam in tutelam quaſi ſuam recepit *aureola iſta Opera*, haud minus propenſa cum uoluntate ad edendum, quam qualem Socer Venerabilis pridem declarauerat. Illius tam beneuoli affectus adhuc durantis documentum, nouamque *Operis utriusque ſciagraphiam*, conceptis uerbis humaniſſimi Poſſeſſoris, fortaſſe inter ſupplementa huius opuſculi mei exhibere licebit. Interea uotum hoc eſt, ut poſt tam anxios ac tam diuturnos conatus, in lucem et uſuram publicam producantur tandem THEOPHRASTVS pariter ac GALENVS, *Hofmanniana induſtria perpoliti*. Et meo quidem arbitrio, ſi quid fieri poſſit, prior utique prodiret THEOPHRASTVS, *noua HOFMANNI uerſione donatus*, qualem pro ueteri illa uitioſa THEOD. GAZAE translatione, a DAN. HEINSIO, contra promiſſum, nihil aut ſane perparum emendata (*), dudum optauit orbis litteratus; cum etiam IO. BODAEI A STAPEL, in conſarcinandis quidem commentariis ampliſſimus labor, in Graeci textus accuratione paſſim deficere uideatur, nec ultra *Hiſtoriam Plantarum* ſit progreſſus, eiusdem THEOPHRASTI *libris III. de Cauſis Plantarum*, intactis plane relictis. Haberet igitur noſtra demum aetas, cum pro THEOPHRASTO tum pro GALENO integro, quod Muſis HOFMANNI grata rependeret, gratiam nempe ſempiternam.

(*) Vid. candida ipſius HOFMANNI epicriſis *in Praefat. Var. Lection.*

GEORGIVS NOESSLERVS.

HVnc Virum, et commodo et ornamento ſingulari, Muſis noſtris conciliatum inprimis eſſe CASPARI HOFMANNI conſilio, iam antea teſtatus ſum, idemque paullo poſt uberius oſtendam. Quare etiam opportune illius, proxime ab hoc, fiet commemoratio, quamuis non pauca utriusque disparia ſint fortunae momenta. Patriae quidem reſpectu non ualde magnum obſeruare licet diſcrimen, quando NOESSLERVS in urbe natus eſt ELECT. BRANDENBVRG. regia ſplendidiſſima. Proſapiam uero habuit longe quam HOFMANNVS clariorem; Patre nimirum procreatus MARTINO NOESSLERO, *duobus potentiſſimis Electoribus praecipuo in rebus ſacris Conſiliario, Eccleſiaſte, itemque Templi Cathedralis Decano* (cuius laudes meritiſſimas, adducto etiam TAVBMANNI elogio, celebrauit NICOLAVS RITTERSHVSIVS (*): Matre uero EVA MELHORNIA, praeclari nominis et familiae matrona, *Francofurti* ad *Viadrum* oriunda. Editus autem eſt in hanc lucem *Coloniae ad Sueuum* d. x. Maii A. cIↃ IↃ XCI. Ac ne quid ſplendoris deeſſet natalibus tam honeſtis, ipſemet ELECTOR *Clementiſſimus*, IO. GEORGIVS, non dedignatus eſt e ſacro fonte Chriſtianorum leuare GEORGIVM noſtrum, cui inſuper gratiae ſuae amplius teſtandae cauſſa, locum inter *Canonicos Eccleſiae Collegiatae apud Berolinenſes* deſtinauerat. Aſt enim uero Parens, aequiſſimus rerum filii ſui arbiter, iſtud beneficii genus, quod alii quamplurimi ambabus arriperent manibus, humillime deprecatus eſt, hanc potiſſimum ob cauſſam, ne forte potitus eodem filius (uti plerumque fieri ſolet) ad inertiam deſidiamque abuteretur. Cum interea nihil, quod ad ſollicitam rectamque pueri educationem facere potuiſſet, omitteretur, adeo feliciter is adoleuit, ut bene poſitis in ſchola patria literarum fundamentis, annum aetatis XIV. agens, *Halam Saxonum*, ad celebrem tunc iſtius Gymnaſii moderatorem, M. IO. AESCHARDVM dimiſſus, mirifice profecerit: Quam in rem non pigebit adducere uerba ipſius Magiſtri, literis ad Parentem perſcripta: *Hauet procul dubio animus, de filio tuo, GEOR-*

(*) in Oratione *Memor. Noesler.* A. 1651. habita.



GEORGIUS NOESSLERUS,

Phil. et Med. Doctor, earumq; per Annos XXXII.
in Univerſitate Altorphina P.P. Illuſtriſs. Princ.
Palat: Archiater, Inclytæ Reipubl. Noriberg.
Medicus et Collegii Senior, etc. Natus Berolini
X. May MDXCI. denatus Altorphii IX. Jul. MDC.L.

W. P. Kilian ſculpſit.

GEORGIO aliquid audire ; facile iſtud tibi largior, et de iuſtiſſimo hoc affectu tibi gratulor. Indolem et ingenium non attingo : cui enim haec aeque perſpecta, ac Patri ? Ipſe quicquid compertum habeo, ſubiicio, et uno hoc uerbo, quod apud non paucos illius aetatis defectiuum eſt, omnia comprehendo, PROFICIT. Volupe mihi eſt legere eius puerilia, quae, ſi aetatem ſpectes, ſunt eiusmodi ; ſi genus ſcriptionis et mentem, ſenilia. Sic igitur in bonis moribus perinde ac literis proficiens NOESLERVS noſter, optimorum quorumuis ibidem Virorum, tum et Aulae Procerum beneuolentiam ſibi acquiſiuit. Poſt biennium, ingruente peſtilentia, domum tantiſper reuerſus, hinc ad *Muſas Viadrinas* tranſiit, praeceptorem inprimis ueneratus HENNINGVM ARNISAEVM, Philoſophum pariter ac Medicum famigeratiſſimum, cuius doctrina in annum tertium gauiſus, mortuo interim Patre, *VVittebergam* ſe contulit, et in Philoſophia quidem IAC. MARTINI, in Medicina uero DANIELIS SENNERTI, Medicorum ea tempeſtate facile principis, auditor ſedulus per ſesqui annum fuit, longius fortaſſe futurus, niſi aërem loci minus ſibi commodum expertus, urgente aduerſa ualetitudine, mutandum duxiſſet. Quare *Francofurtum* rediit ad Matrem, quae tunc eo ſe receperat, mox in comitatum adſcitus eſt *Perilluſtris Domini* ADAMI GANS L. B. A PVTLITZ, qui *Legatus Principis ad Conuentum Electoralem Norimbergae* celebrandum, proficiſcebatur. Hac occaſione *Altorffium* excurrens, in amicitiam Clariſſimorum, qui eo tempore florebant, Profeſſorum ſe inſinuauit. Cum eodem ſplendidiſſimo *Legato* redux, pientiſſimae Matri, non multo poſt defunctae, iuſta et ultimum pietatis officium perſoluit. Inde cariſſimum Praeceptorem ſuum, ARNISAEVM, ad Helmeſtadienſes uocatum, ſecutus, aliquandiu ibi ſubſiſtens, aliorum quoque Celebb. Virorum, nominatim IO. CASELII, CORN. MARTINI, HENRICI MEIBOMII, CALIXTI item et HORNEII fauore, et conſuetudine frui potuit. Exacto ſic biennio *Italiam* adiit, et in *Lyceo Patauino* commorari aliquandiu e re ſua fore iudicauit, praeſtantiſſimorum, qui tunc Philoſophiae et Medicinae cathedras illuſtrabant, Virorum doctrina et fama inuitatus. Prae ceteris coluit CAESAREM CREMONIVM, Philoſophum : Ex Medicis

uero magna iſta lumina, THOM. MINADOVM, HIERON. FABR. AB AQVAPEND. PROSP. ALPINVM, IVL. CASSERIVM PLACENTINVM, ADRIANVM SPIGELIVM, RODER. FONSECAM, BENED. SYLVATICVM, IO. PRAEVOTIVM, SANCT. SANCTORIVM. Ipſi autem populares, *Germani*, qui tunc in eodem *Antenoreo Gymnaſio* Muſis litabant, cognita NOESSLERI uirtute, anteſignanum ſuum, *Conſiliarii* uſitato titulo, et *Bibliothecae Praefectura* ornarunt: Ea dignitate conſpicuum porro elegerunt, qui cum *Generoſiſſ. Barone* GEORG. A RIEDESEL ablegaretur *Venetias*, ut nouo *Sereniſſ. Reip. Duci* IO. BEMBO, de felicibus Imperii auſpiciis, ex ueteri conſuetudine, *Nationis Teutonicae* nomine gratularetur; quod adeo proſpere fuit peractum, ut *Sapientiſſimus Princeps* oſculo et amplexu NOESLERVM iuxta cum comite ſuo exciperet. Cum circa idem tempus agitaretur *Patauii* negotium, *de admittendis ad honores Doctorum etiam illis, quibus religio eſſet iurare in Bullam Pontificis*; idipſum *Noſter*, induſtria ſingulari et prudentia ſua, *Venetiis* feliciter ita confecit (*), ut ipſe inter primos nouo priuilegio gaudens, ſummos in Philoſophia et Medicina honores publico cum applauſu conſequeretur. Inuiſit hinc alias *Italiae urbes illuſtriores*, indeque ſcientia non minus, quam honore multiplici auctus, triennio fere peracto, *Germaniam* repetiit. *Norimbergam* et *Altorfium* denuo accedens, in conuictum CASP. HOFMANNI receptus, occaſionem huic aliisque bonis Viris, Profeſſoribus, dedit cogitandi de ſucceſſione in locum defuncti paullo antea SONERI. Conſilium hoc, tametſi merito ſuſpiceret NOESSLERVS, praematurum tamen exiſtimauit, et qua erat modeſtia, nondum ſatis idoneum ad iſtam ſpartam decenter ornandam ſe aeſtimauit. Vale igitur dicto Academiae, in patriam profectus, diu latere non potuit, ſed mox SERENISS. ELECTORI

(*) Huius beneficii memores illi, quibus impetratnm id fuit, *Epicedio* prolixiori quam quod charta haecce caperet, talem in modum ſubſcripſerunt: *Sic plangit inclyta Natio Germanica Artiſtarum, quae Patauii eſt, aeternum memor Meritiſſimi Viri (proh dolor!) fato functi, cuius ut ingenii monumenta Altorphii extant, ſic illius generoſa geſta apud Ciues ſuos olim Patauii, Actis noſtris inſerta, aeternitatem ſibi ueneratione obſtringunt.*

CTORI commendatus, ab eodem clementiſſime acceptus, et torque aureo donatus fuit. Interim non neglectum ab iis, quos antea dixi, Viris optimis, illud de Profeſſione Academica negotium; quin eorundem ſedula ſimul et iuſta commendatio apud ILLVSTES ACADEMIAE CVRATORES, intercedente etiam grauiſſimo Reip. Conſiliario, poſtmodum Academiae Pro-Cancellario, D. GEORG. REMO, haud difficulter euenit, ut ad munus illud ſolenniter uocaretur NOESSLERVS. Oblata eidem fuit, eodem tempore, conditio non contemnenda Medici apud *Cathedrales Magdeburgicos*, quam tamen is, de ſententia uenerabilis ſui Praeceptoris, ARNISAEI, poſthabuit, et ineunte A. 1618. *Norimbergam* ſe contulit, ac impetrata confirmatione, *geminum officium Philoſophi et Medici Profeſſoris*, auſpice Deo, ſuſcepit. Qualem in utroque ſe geſſerit, tot eius diſciplinae alumni, non minus fideliter quam feliciter eruditi, tot labores in iisdem recte inſtituendis, per annos XXXII. exantlati comprobarunt. Et poterat ſane, pro eximia doctrina et eloquentia ſua, NOESSLERVS, multo maiorem aucupari famam, ſcribendo, ſiquidem uoluiſſet; ſingulares tamen cauſſae ipſum detinuerunt, quo minus multa in lucem publicam proferret; ut etiam magno cuidam Viro, interroganti aliquando, *cur nihil in publicum ederet?* reſponderit: *Malo te, et tui ſimiles id ex me quaerere, quam cur aliquid ſcripſerim? Monſtroſa iam dudum, et nauſeae obuia eſt librorum, quotidie editorum multitudo*; Nempe:

Scribimus indocti pariter doctique libellos,
Quos, pro Lectoris captu ſua fata ſequuntur.

Parum adeo famae amplificandae auidus ille fuit, ut etiam *Philothecis* Studioſorum inſcribere conſueuerit:

Magna aliis, mihi ſi ſit bona fama, ſat eſt.

Quod autem in prouerbio dicitur: *honorem ſequi fugientes*, id NOESSLERI exemplo abunde confirmatum apparet. Non ſolum enim A. 1619. auctoritate SVPERIORVM, *Collegio Medic. Norimberg.* adſcriptus, ſed eo quoque loco locatus eſt, quem occupare poterat, ſi ſtatim ab initio Profeſſionis Academicae eundem quaeſiuiſſet. Circa

I 3 idem

idem fere tempus a *Sereniſſ. Principe* DN. IO. FRIDERICO, *Comite Palat. ad Rhen.* tunc *Hilpoltſteinii* reſidente, delatum fuit NOESSLERO munus curandae ualetudinis tam ipſius *Principis*, quam *Clementiſſimae Coniugis.* Taceo, quod longe lateque per uicinas regiones ab omnis generis hominibus expeteretur eiusdem opera, et praedicaretur non minus prudentia (*) quam felicitas in medendo. Quibus tamen occaſionibus ille neutiquam paſſus eſt ita ſe diſtrahi, ut multum deeſſet Academicis negotiis, ut haec omnino anteferre illis uideretur. Quare et hinc multiplex ſecutus eſt NOESSLERVM honor. Praeter enim frequentem applauſum auditorum, (qui, quoties docentem ac publice diſſerentem audirent, toties CELSVM ſe audire exiſtimabant) uniuerſi coetus Academici et oppidanorum ciuium animos uirtute et officiis ſuis ita ſibi obſtrinxit, ut omnes ipſum obſeruarent atque colerent. Semper enim dicere et facere ea ſtuduit, quibus communem ſalutem procurari poſſe credebat. Neque uoluntatem iſtam optimam fruſtratus eſt effectus. Vnum eius afferre lubet exemplum; quod cum a milite *Tilliano* immineret oppido huic deuaſtatio et expilatio, NOESSLERVS ſingulari ſua ſuauiloquentia permouerit Ducem, ut ſecuritatem *Vniuerſitati* tribueret, *Oppido* uero propter hanc bis parceret; ac prima quidem uice militibus ſuis non depraedandum, altera uero (cum ob Coenobium uicinum, ab aliquo noſtratium, uti fama erat, in cineres redactum, iuſtiſſimas crudelitatis rependendae cauſſas ſe habere diceret Dux ille famoſiſſimus) non exurendum permitteret. Atque ſic unius uirtus omnium beneficium fuit. *Decani* officium in *Medica* quidem *Facultate* octies, in *Philoſophica* ſexies, omni cum laude geſſit, et utriusque *Collegii* dignitatem ſtrenue defendit, praeſertim ubi maleuolorum morſibus tentari eam uideret. Tale quid ſeorſum accidiſſe noui, cum aliquando unus aut alter Medicorum Norimbergenſium, in Candidatis Medicinae explorandis, ſe comiter intrudere uellent, ad ſupplendum ſcilicet Collegium, quod tunc e duobus tantum conſtabat Profeſſoribus. *Rectoris* autem munere quater functus eſt: ac primum quidem incidit in eum *Academiae*

(*) cuius ſingularia quaedam ſpecimina NICOL. RITTERSHVSIVS in Oratione laudata fol. 12. expoſuit.

miae huic auſpicatiſſimum annum cIↄ Iↄ CXXIII. quo altiorem gradum *Vniuerſitatis ſtudiorum*, nouis *Diui* FERDINANDI II. priuilegiis illa obtinuit. Tunc igitur NOESSLERVS, cum eſſet facie liberali, corporis ſtatura eleganti et procera, ſuauiſſimis inſuper moribus praeditus, perſonam ſibi impoſitam cum approbatione omnium, qui tunc aderant, Principum etiam et aliorum Illuſtrium Virorum, egregie ſuſtinuit. Nec minori auctoritate et gratia ſequentibus etiam temporibus, cum iterato ac ſaepius *Conſulatum* gereret *Academicum*, eminuit: Non enim erat rigide ſeuerus, nec diſſolute clemens, ut uel in petulantiam, uel in audaciam erumperet male diſpenſata libertas. *Senatus* et *Collegarum* ſingulorum ornamenta et commoda adiuuit et auxit pro uirili parte. Habet etiam nunc, quod NOESSLERO gratus referat noſter Medicorum Ordo, legatum nempe *poculum argenteum* affabre factum et pretioſum, quod ipſi aliquando obtulerant remunerationis loco, ſeptem Medicinae Doctores, ab eodem uno actu creati. Conſimilem non modo, ſed maiorem omnino liberalitatem exhibuit idem in augenda ſupellectili ſacra Templi Oppidani, tum et erga miniſtros Eccleſiae, et pauperes quoscunque, praeſertim aegrotantes: Quam beneficentiam, iuxta cum aliis haud infucatae *pietatis Noeſslerianae* documentis, pro merito in Concione funebri praedicauit D. GEORG. KOENIG, t. t. *Eccleſ. Antiſtes.* Sicut autem in ſecundis rebus ſuis neutiquam inſolenter ſeſe extulit, ita in aduerſis etiam moderatum patientia, et fortiter conſtantem ſeruauit animum. Annus erat cIↄ Iↄ CXXXII, cum demortui in ipſo *Acad. Conſulatu* M. GEORGII MAVRITII uicem reciperet NOESSLERVS, et Reipubl. cauſſa Norimbergam proficiſci teneretur, ibi cum aliquibus Collegis, in uia, ab *Illyricis exercitus Caeſariani equitibus* ille captus, primum *Neagoram* abductus fuit, ubi barbari ante diuerſorium, diſpoſitis ordine aliquot truncatis capitibus, nouum captiuis horrorem incuſſerunt, ne eandem immanitatem experirentur et ipſi. Noſter certe, dum inde *Ambergam* uerſus duceretur, non ſemel currentes pone ſe, nudis acinacibus ſibi minitari audiuit, de amputando uel uno ictu capite. Hic ille, tam praeſentis uitae diſcriminis atrocitate conſternatus quidem, DEO ſe commendauit, cuius praeſidio fretus in mediis periculis, periculis maior, pa-

ratus

ratus ibat in ea, quae minabantur. *Amberga* BATHIANVS, equitum illorum tribunus, eum per ſuos miſit *Nabpurgum ad* ELECTOREM BAVARIAE, qui, ut noſtrum uidit, ut audiuit, efferatorum militum manibus, quibus de pendendo lytro aegrius erat, quam olim ACHILLI de *Patroclo* interfecto, ſubducendum, Comiti ALTRINGIO commendauit, qui eum humaniſſime tractauit, eodem curru ſecum, ut plurimum uexit, et perſpectae uirtutis gratia, magno in honore habuit. Cum aliquando in diuerſorium ueniſſent, ac forte BATHIANVS armatam acinace dextram ſuſtuliſſet, quaſi uirtutem eius in NOESSLERO probaturus, e regione ſedens ALTRINGIVS rogauit iſtum, anne uideret uirum, et ſplendentia arma? Videre ſe, ſed maiorem e longinquo reuerentiam fore, cum reſpondiſſet, bono animo eum eſſe iuſſit, et ſecurum de lytro, quod ingens et inſolens ille Barbarus exegerat. Atque ab hoc tempore in liberaliſſima captiuitate, ſine omni cuſtodia et obligatione fuit, niſi quod in caſtris Caeſarianis et Bauaricis medicinam facere debuerit. Quod autem in geminata calamitate NOESLERO contigit, idem contra in hac libera captiuitate uſu uenit, ut proſperitas ipſi conduplicaretur. Etenim cum in utroque exercitu, propria ſua dexteritate et induſtria uarios complurium Ducum, Tribunorum aliorumque militum morbos profligaſſet, plurima inde ſoſtra, et munera eſt conſecutus, et a *Duce* VVALLENSTEINIO torque aureo, magni pretii donatus fuit, in quem ille, uti erat Poëta terſiſſimus, et laurea ſua Caeſarea, (quam tamen nunquam oſtentauit) digniſſimus, ita luſit:

Captiuitatis praemium et decus meae,
Fridlandiae quod debeo, at quanto! Duci,
Fortuna abuſus eſſet ille ni ſua,
Abuſa fortuna an fuit Fridlandio?

Poſt memorandam illam *pugnam Luzzenſem,* idem *Dux* affinem ſuum, *Comitem ab* HARRACH, et alios Nobiles, partim aegrotos, partim in conflictu uulneribus ſaucios *Lipſiae* curandos noſtro commendauit, paucis uero interiectis horis, exercitum Saxonicum approperare audiens, ſuisque metuens, cum imperaſſet ocyus *Zvvickauiam* mouerent, ibi in trepida-

trepidatione, ſuarum rerum ſatagentes, obliti ſunt captiui ſui, et NOESSLERVM poſt ſe *Lipſiae* reliquerunt. Ipſe tunc, ut primum potuit (ualetudine enim uexabatur, quod credibile eſt eidem ſemel atque iterum contigiſſe, ex aſſidua et inſolita agitatione) *Torgauiam* ſe recepit, expectans occaſionem cum mercatoribus Norimbergenſibus, poſt nundinas Lipſienſes reuertendi. Acceperat interea literas a fratre *Adamo, ICto, et Conſiliario Elect. Brandenb.* quibus patriae fumum externo igne lucidiorem afferens, illum hortabatur, meminiſſet Patriae ſe natum; itaque in hanc ſe reciperet, et Artis ſuae operam PRINCIPI ELECTORI oblocaret, et magna inde praemia ſperaret. Non defuerunt contra iſti Vniuerſitatis noſtrae Clariſſimi Profeſſores, quos intimos NOESLERVS habuit amicos, LVDVVELLVS, RITTERSHVSIVS, et KOBIVS, qui illum per literas rogarent, priſtinam ſuam ſtationem ne deſereret. Anceps animi dum aliquandiu haereret, re diligentiſſime perpenſa, uenit ei tandem in mentem, *uetulam arborem transplantatam*, etiam in patrium ſolum, *uix coaleſcere.* Maluit ergo in Vniuerſitate porro philoſophari, quam libertatem et otium literarium uendere, et auream, ut aiunt, ſeruitutem ſeruire. Poſtliminio igitur *Altorfium* rediit feliciter; cum ex quinquemeſtri ea captiuitate ultra *quingentos florenos aureos* ſecum attulerit; cum alii eodem tempore capti, ingens lytron dependere coacti, et interim male a uerberonibus iſtis habiti ſint. Nempe ita uerum deprehendit noſter eſſe, *piis tandem omnia cedere in bonum*; quando captiuitatem ſuam, ut ut ſub initium admodum acerbam, tandem ſibi honori et commodo fuiſſe comperit.

Oblitus propemodum eram domeſticarum rerum NOESSLERI, quas etiam ſcire non multum intereſſe puto eorum, quibus haec ſcribuntur. Breuiter attamen commemoro, uixiſſe illum in matrimonio duplici: Et primum quidem contraxerat cum Matrona honeſtiſſima, VRSVLA SCHVVABIA, Viri ſpectatiſſimi EVSTACHII VNTERHOLZERI *Vidua*, cuius amore et concordia per annos XIII. gauiſus, ex eademque duarum filiarum (etſi non diu ſuperſtitum) pater factus, non ſine magno moerore conſortio eius ſuauiſſimo orbatus eſt. Biennium effluxit integrum, usque dum ad uota ſecunda progrederetur

K NOESS-

NOESSLERVS, quum interea ipſe ſolus atque uiduus, tanto facilius erat perpeſſus illas captiuitatis ſuae et abſentiae de domo calamitates. Alterum itaque tandem iniit coniugium cum lectiſſima uirgine CATHARINA, optimae exiſtimationis inter Norimbergenſes mercatores Viri, MARCI FRID. PFAVDII filia, quae filiorum quinque mater, eo ſaltem nomine infelix dicenda erat, quod eorum quatuor immatura morte extinctos uiderit, ipſa demum ad meliorem uitam translata, anno cIↃ IↃ CXLIV. unico in ſolatium moeſti patris filio relicto IO. GEORGIO. De hoc neſcio an recte ſentiam, ſi profitear, melius conſuluiſſe fata *Noeſslerianae famae*, ſi et ipſum rapuiſſent puerum: Quamuis enim ſollicite ac liberaliter educatus ſine dubio, et ad ueſtigia tanti Parentis premenda inſtitutus, quin et in eodem *Lyceo Patauino*, in quo ille exſplenduit, *more* (quem uocant) *Nobilium* illuſtriori *Doctor Medicinae renunciatus*, itemque *Conſiliarii Germanicae Nationis* titulo ornatus fuit; nihil tamen exſpectatione ſua dignum effecit poſtea, ſed amplo ſatis patrimonio indigne conſumpto, ad incitas redactus, in Coenobium quoddam ſe abdidit, ac miſeram in eo uitam finiit.

Pater autem, ut ad hunc reuertar, ſibi ſemper ſimilis, uitae tandem ſuae curriculum laborioſe quidem, ſed et glorioſe peractum, pie confecit d. IX. Iul. A. cIↃ IↃ CL. hoc etiam nomine felix praedicandus, quod diuturni ac funeſti Germaniae belli exoptatum, eo ipſo in anno finem, terrisque reparatam pacem prius uiderit, aeternae ſibi conſecutae pacis auſpicatum prodromum. Conflictabatur per annos pluſculos *articulorum doloribus*, neutiquam ex intemperantia contractis, utpote qui, teſte omni exceptione maiori, NIC. RITTERSHVSIO, temperantiae ſtuduit religioſiſſime, et in uoluptates liberum exercuit imperium, *podagram* uero a Patre ſuo, iure quaſi haereditario accepit. Inter acerrimos autem iſtos *dolores arthriticos*, decubitu ſaepe longiori mulctatus (quod ſane fieri ſolet) *calculi* etiam carnificinae obnoxius, hinc *renum ulcere* affectus, inde potiſſimum cauſſam mortis habuit, quam pietate ardentiſſima et incredibili patientia excepit ac ſuperauit denique Vir optimus.

Plura

Plura in laudes eius meritiſſimas apponere, meis quidem uerbis, haud ſuſtineo, tametſi facile credam, quod multa poſſent inſuper afferri eo pertinentia; quae quidem ſupplebit quodammodo *Elogium*, quo Vir ille ſummus D. GEORG. RICHTERVS, *Academiae noſtrae Pro-Cancellarius*, publice ornauit (*) NOESSLERVM, familiariter et optime ſibi cognitum; quod propterea totum hic ſubiicio:

Vnum, antequam finiam, adhuc addo, quod triſte quidem, adeoque actus huius hilaritati conuenire, uix uidebitur. Sed quia inter laeta, etiam mortalitatis meminiſſe ſapientis eſt, atque triſte illud non tam triſtitiam, quam laetam conſolationem nobis, confido, pariet, non eſt, quod, quicquid ſit, paucis heic attexere uerear. NOESSLERI noſtri, heu! non amplius noſtri obitum innuo, qui paucis abhinc menſibus non modo omnibus Academicis, ſed et iis, qui in Vrbe et Republ. eum norunt, luctuoſus accidit; cuius absque publica mentione obliuiſci nequaquam poſſum. Equidem, cicatricem, tempore non nihil obductam, intempeſtiue refricare, meum non eſt, ut qui recrudeſcenti uulneri ſanando impar eſſem maxime. Neque Viri praeclariſſimi laudes eximias, ſolenni parentatione depraedicare animus eſt, ad quod etiam exercitatiſſimi oratoris eloquentia non ſufficiat. Sed uiro amiciſſimo ultimum uale publice dicere lubet. Amiſit certe Academia Doctorem Medicum, quem ultra annos XXXII. habuit, de ſe optime meritum, et quamdiu per ualetudinem licuit, qua publice qua priuatim, in docendo et diſputando, diligentiſſimum; qui in Sparta ſua exornanda etiam inter morborum impedimenta, ſaepius plus quam potuit, praeſtare laborauit. Qui artem quoque ſuam, quoties ad aegrorum curam accerſebatur, ita factitauit, ut aſpectu prope prius ac ſermonibus, quam arte aut remediis, curare uideretur. Cuius dexteritatis teſtem ipſe me ſiſtere poſſum. Neque peritiae ipſius quicquam detrahit, quod ad ſenectutem uergens, malo podagrico obnoxius ipſe frequentius decubuit: Quae diuina uirtutis ipſius exercitatio, in qua animi conſtantiam, ad finem usque praeſtitit, DEO que obedientem ſe pie demonſtrauit, exiſtimationem eius non tam minuit, quam auget et nobiliorem reddit.

(*) in ſolenni Panegyri Promot. Doctor. d. 28. Ian. A. 1651.

Verum, non Medicum tantum praeſtantiſſimum amiſit Athenaeum noſtrum, ſed et Philoſophum acutiſſimum, Poëtam elegantiſſimum, Oratorem facundiſſimum, Legatum fideliſſimum, Senatorem prudentiſſimum, iuſtitiae ſectatorem ſtrenuum, a clementia tamen non alienum; Virum integritate, fide, humanitate, modeſtia, amabilitate, candore, patientia, pietate chriſtiana, fatente etiam inuidia, excellentiſſimum; in cuius uultu, uerbis, factis, quaedam quaſi Venus, uel gratia potius diuina, habitare uidebatur; ita ut Medicis Academiae noſtrae, apud exteros quoque longe celeberrimis, Taurello, Scherbio, Sonero, Hofmanno, at quantis uiris! quorum laudes nulla aetas conticeſcet, annumerari optimo iure poſſit. Quantae deuotionis fuerit erga DEVM, quantae reuerentiae erga Magiſtratum, quanto honore proſequutus ſit collegas, quanto amore ſtudioſos, quantae promtitudinis extiterit erga ciues, quantae humanitatis erga cunctos, teſtantur omnes, quibus nouiſſe eum contigit. Omnibus, doctis et indoctis, charus, nullius boni odio expoſitus, omnibus acceptus, nemini grauis, omnibus honoratus, nemini fuit contemtus. Ab hoſtibus bello captus, quam fortiter aduerſam fortunam tulerit ac ſuperarit; quam modeſte uiciſſim in rebus ſecundis, et aequali uultu ſe geſſerit, quamque ſui ſimilis extiterit in omni uita, a recti tramite ἐκ προαιρέσεως nunquam deflectens; humanitatis errores pro uirili uitans, corrigens, deplorans; per ſingulos uitae ipſius actus enumerare, longum foret, ne dicam omnia et ſingula encomiis debitis illuſtrare; in quo aliorum facundia habebit, quod laudet ſuo tempore. Nobis alio properantibus, ad tam multa praeclara digitum intendiſſe, ſat eſt. Inter quae illud omnium maximum, quod dotes ſuas praeclaras, non ſibi, ſuisue meritis, ſed diuinae benignitati acceptas retulit; et uitam honeſte actam, beata morte obſignauit; ita ut nunc cum CHRISTO anima ipſius requieſcat in pace ſempiterna. De quo beneficio diuino, quod ut hominis non eſt, ita omnem quoque humanam laudem excedit, ipſi gratulamur potius, quam ut hominis modeſtiſſimi laudes laborioſe amplificemus; uel etiam abitum eius, non obitum, diutius lugeamus: mori diſcentes quotidie, ut et nos fatalis illa hora, ubi CHRISTO, DEI filio, Seruatori noſtro unico, uiſum

fuerit,

fuerit, promptos paratosque inueniat. Mortem enim, inquit nonnemo praeclare, quae meta laborum eſt, uel formidare, uel lugere nimium, nihil aliud eſt, quam CHRISTVM iniuria afficere, quaſi nobis male proſpectum ſit, cum eo eſſe. Vale igitur et ſalue, o NOESSLERE, ad locum immortalitatis nunc euecte, uale poſtremum, et ultimam hanc gratiam habe, quod ex ſororibus nepotes duos, alterum D. GEORGIVM CHRISTOPHORVM DREHERVM, Iuriſconſultum, Reipublicae noſtrae Conſiliarium, alterum D. MAVRITIVM HOFMANNVM, Medicum, Academiae noſtrae Profeſſorem, ita educaſti, ut eos Tui ſimiles futuros, haud temere ſperare poſſimus: qui eandem quoque pietatem erga Filium Tuum grata mente declarabunt, quam ipſi in ſe, a uirtute Tua experti ſunt abundatiſſime.

Caeterum inter tot ac tam uaria, in b. Virum cumulata *Epicedia*, hoc inprimis, a IO. FABRICIO, *Norimbergae ad D. Mariae Paſtore*, olim diſcipulo NOESSLERI, compoſitum, uelut *Epitaphium* quoddam, concinnitatis ſuae et acuminis cauſſa mihi perplacet:

Horarum Vir cunctarum, pietate ſecundus
Nulli, NOESSLERVS, conditur hoc tumulo.
Rarus et inſignis MEDICVS, facilisque POETA:
Et grauis ORATOR, PHILOSOPHVMque decus!

Reapſe autem poſitum in coemiterio noſtro *Epitaphium* ſic ſe habet:

GEORGIVS NOESSLERVS BEROLIN. MARCH.
CVM CHARITATIBVS SVIS H. S. E.
NATVS D. X. MAI cIↄ Iↄ xci. DENATVS ALTDORFI
D. IX. IVL. cIↄ Iↄ c l.
VITAE SANCTIMONIAM, ERVDITIONIS COPIAM,
INSIGNIA MERITA,
QVIBVS ARTEM MED. ET PHILOSOPH. PER
ANNOS XXXII.
SVMME SIBI DEVINXIT VIR OPTIMVS,
IN FAMAE TEMPLO, QVAM HOC CIPPO, LEGI
MALVIT.

DISPVTATIONES PHILOSOPHICAE ET MEDICAE *ſub GEORG. NOESSLERI praeſidio habitae.*

1. De Principiis in genere, ex Lib. I. ARISTOT. Reſp. *Ierem. Cleſſius,* Rotenburg. Francus. 1618.
2. De Epilepſia, Reſp. *Georg. Agricola*, Amberg. 1619.
3. De Mundo, Reſp. *Io.* Götze / Naumburg. 1620.
4. De Loco, Reſp. *Iac. Bruno*, Roebelenſ. Megapol. 1626.
5. Quaeſtionum nobilium, de Anima, πέμπας, Reſp. *Caſp. Arnold.* Herſprucc. 1620.
6. De Pleuritide, Reſp. *Io. Eichhorn*, Eisfelda-Fr. 1622.
7. De Hydrope Aſcite, Reſp. *Io. Valent. Meyer*, Oeting. 1624.
8. De Coelo, Reſp. *Io. Georg. Poenlein*, Nor. 1625.
9. De Nutritione, Reſp. *Mich. Rup. Beslerus*, Nor. 1625.
10. De Putredine, Reſp. *Io. Chriſtoph. Grauius*, Noerdling. 1626.
11. De Ictero in genere, et flauo in ſpecie, Reſp. *Georg.* Kernichen / Namsla-Sileſius, 1627.
12. De Elementis, Reſp. *VVolfg. VVilh. Schabel*, Farimola-Palatinus, 1627.
13. De Leucophlegmatia, Reſp. *Georg. Erneſt. Heher*, Nor. 1627.
14. Aphoriſmus Phyſiologicus: Fontes et fluuii ortum praecipue habent ex mari, Reſp. *Ian. Chriſt. Gebhardi*, Nor. 1628.
15. De Principiis corporum naturalium, Reſp. *Io. Marx*, Nor. 1629.
16. De Apoplexia, Reſp. *Georg. Maier*, 1630.
17. De Senſibus externis, Reſp. *Io. Leon.* Uhnſorg / 1630.
18. De Anima rationali, Reſp. *Io. Meyerus*, Eubaco-Nor. 1631.
19. Καθάρσεως σκιαγραφία, Reſp. *Gregor. Hilling*, Elnboga-Bohemus. 1636.
20. De Temperamento, Reſp. idem *Hillingus.*

22. De

21. De Analogia Macrocoſmi et Microcoſmi, Reſp. *Io. Fabricius*, Nor. 1637.

22. Περί τριψυχίας ἀνθρωπίνου, Reſp. *Balth. Seyffert*, Nor. 1639.

23. De Senſibus, Reſp. *Io. Chriſtoph. Eiſenmengerus*, Heilbron. 1640.

24. De quatuor primarum qualitatum definitionibus Ariſtotelicis, Reſp. *Luc. Frid. Reinhart*, Nor. 1644.

25. Περὶ τῆς μεταπτώσεως καὶ ἐπιγενέσεως, Reſp. *Chriſtoph. Nicolai*, Nor. 1644.

26. De Fortuna et Caſu, Reſp. *Io Conr. Dürr*, Nor. 1646.

27. De Pleuritide Reſp. *Io. VVolfg. Brunner*, Kittinga-Fr. 1647.

28. De Metallis, Reſp. *Io. Mart. Brendel*, Nor. 1649.

Oratio, quam NOESSLERVS, ipſo Inaugurat. Vniuerſit. Altorf. feſto die A. cIↄ Iↄ c xxiii. t. t. Rector Magnificus recitauit, extat in *Act. Publicat. Priuileg. Doctoral.*

Epiſtolae duae ad C. HOFMANNVM, et ultra XX. ad GEORG. RICHTERVM ſcriptae, cum huius reſponſionibus, in Syntagmate toties citato continentur.

Αὐτόγραφα quaedam Literarum NOESSLERI ad SEBAST. HEINLINVM, Medicum Norimberg. in meis ſcriniis aſſeruo.

LVDO-

LVDOVICVS IVNGERMANNVS.

POſt impetrata *Vniuerſitatis ſtudiorum priuilegia*, tametſi duo Medicinae Profeſſores, ſicut ab incunabulis Academiae, porro ſufficere uiderentur, uiſum tamen fuit ipſis optimis Viris C. HOFMANNO, et G. NOESSLERO, ut expeterent ſibi *tertium Collegam*, qui partem aliquam laborum, ac ſeorſum *herbariae rei Profeſſionem* ſuſciperet, Hortumque Medicum inſtauraret. Quare ILLVSTRIBVS ACADEMIAE CVRATORIBVS auctores fuerunt, accerſendi ad munus illud exercitatum Virum, nempe IVNGERMANNVM. Natus hic fuit *Lipſiae* A. cIↃ IↃ LXXII. d. IV. Iulii, praeclaris ſane parentibus, Patre ſcilicet CASP. IVNGERMANNO, I. V. Doct. et Prof. Publ. ejusdem Facultatis Seniore et Pro-Cancellario, qui et officio Rectoris Acad. ſepties, exemplo raro functus eſt; Matre uero VRSVLA, inclyti illius Germaniae phoenicis, IOACH. CAMERARII, *Pabeberg.* filia. Horum cura pie, liberaliter ac honeſte educatus ille, ſic profecit, ut aptum ad altiores diſciplinas ingenium mature oſtenderet. Applicauit autem hoc inprimis ad *Rem herbariam*, incitatus exemplo fratris natu maioris IOACHIMI, qui eodem in ſtudio excellere iam inceperat, ſine dubio maiori admirationi futurus, niſi perficiendae iſtius ſcientiae cauſſa peregrinas terras inuiſurus, periiſſet in itinere *Corinthum* uerſus. Noſter autem tanto magis alacriter urſiſſe uidetur illud ſtudium, ut iacturam, quam Res Herbaria per immaturam fratris mortem fecerat, induſtria ſua quomodocunque reſarciret. Quibus ille uſus ſit praeceptoribus, compertum non habeo; ſuſpicari tamen licet, maiori ex parte αὐτοδίδακτον, ac per conſultores mortuos eruditum fuiſſe; quoniam tunc temporis frigebat fere botanicum ſtudium in plerisque Academiis Germaniae, ſi *Baſilea* forte excipiatur, in qua illud exercebat CASP. BAVHINVS. Potuiſſet uero etiam ſubſidii aliquid ſibi comparare ab Auunculo, IOACH. CAMERARIO, Reip. Norimb. Archiatro, et magni nominis Botanico, niſi hic diem ſuum obiiſſet prius, quam ad illud recipiendum idoneus per aetatem redderetur IVNGERMANNVS. Quod ex *patria Academia* in *Ienenſem* ſe contulerit, ſtudiorum gratia, relatum quidem lego, nec tamen



LVDOVICVS IUNGERMANNVS,
Lipſiensis,
Medicinæ D. et P. P. in Academia Altdorfina ab A°. 1625.
Natus d. 4. Jul. A°. 1572. Denat. d. 7. Jun. A°. 1653.
W. P. Kilian ſculpſit.

men annotatum inuenio, quibusnam Doctoribus idem ibi profecerit. Deinceps in *Palaeocomen noſtram*, circa initium ſaeculi ſuperioris accedens, ſocium ſtudii opportune inuenit CASP. HOFMANNVM, coaetaneum, et in inquirendis ſtirpibus regionis noſtrae comitem ſtrenuum. Illo itaque tempore fundamenta quaſi iacta ſunt componendi *Plantarum indigenarum Catalogi*, cuius exemplar IVNGERMANNVS, in patriam reuertens, amiciſſimo ſuo reliquit HOFMANNO, quod hic poſtea, tantum non inuito auctore (qui emendatius id cupiebat) in lucem emiſit. Efflorescentis ea tempeſtate *Gieſſenſis Academiae* fama forſitan allexit IVNGERMANNVM, ut eo iret, docendi non minus quam diſcendi cupidus. Quo anno id ſuſceperit exacte non poſſum indicare. Habeo tamen *epiſtolam* laudati BAVHINI ad noſtrum datam d. 29. Aug. A. 1609. in qua illum *Horti Medici Acad. Gieſſenſis* φυτὲργον *uigilantiſſimum* ſalutat. Necdum uero munus *Profeſſoris* ille acceperat, ne *Doctoris* quidem aſcito titulo; quem tamen paullo poſt, motu proprio, *a Facultatis Med. Clariſſ. Profeſſoribus* ſibi oblatum, tanto maiori cum gloria conſecutus eſt, ac breui tempore non ibi tantum, ſed longe lateque per *Europam* inclareſcere coepit, ob ſingularem *Rei Herbariae* ſcientiam.

Interea uero, et cum priuatam quaſi adhuc uitam Gieſſae ageret IVNGERMANNVS, accidit, ut *Norimbergae* agitaretur negotium conſtruendi operis ſplendidiſſimi, *Horti* nempe *Eyſtettenſis*, cuius cura, perclementi uoluntate CELSISS. PRINCIPIS EPISCOPI, demandata fuit BASILIO BESLERO. Hic igitur, imbecillitatis ſuae ſibi conſcius, cum forte poſt CAROLVM CLVSIVM, iam tunc aetate nimis prouectum, et alia quaeuis cogitantem, temere tentatum, de IVNGERMANNI eruditione botanica comperiſſet, eundem (neſcio quibus conditionibus) aduocauit, et adiutorem ſibi acquiſiuit, domi propterea ſuae aliquandiu ſuſtentauit. Habeo literas aliquot ab affine IVNGERMANNI, Lipſiae ad hunc datas, eidemque (ut fert inſcriptio) exhibendas in *aedibus Beslerianis*. Intelligere licet ex iſtis literis, IVNGERMANNVM eo ipſo tempore ibi per menſes pluſculos commoratum, quo *Hortus Eyſtettenſis* ſub prelo ſudauerat. Habeo etiam primum

 exemplar

exemplar *praefationis*, quae operi laudato praepoſita legitur, *Collegii Medic. Nor.* nomine conſignata : illud ipſum manu ſua ſcripſit *Decanus* t. t. BALTHASAR AB HERDEN, ac diſertis uerbis inter alia ſic profitetur : *Quanquam Clariſſ. et Doctiſſ. Virum, LVDOV. IVNGERMANNVM, Med Doctorem, cuius opera in plantarum iconibus eleganter et breuiter deſcribendis, uſus eſt BESLERVS, ſua defraudare laude nequaquam uelimus.* Verum haec uerba omnia in exemplari typis impreſſo penitus omiſſa ſunt. Occaſionem inde captauit ὁ πολυμαθέστατος D. MICH. FRID. LOCHNERVS, Collega et Amicus olim meus, etiam poſt fata plurimum honorandus, ut dubitaret de ueritate aſſertionis, quae in *Programmate funebri Iungermanniano* deprehenditur, a FREHERO in *Theatro ſuo* repetita, commodatae ſcilicet operae ad iſtud opus ſplendidum perficiendum. Accedebat et altera dubitandi ratio, *quod* ſcilicet *nuspiam* BESLERVS *meminerit* IVNGERMANNI (*). Iuſtum igitur eſſe uidetur inquirire in cauſſam, ac declarare, cur factum id ſit? Verbo dicam, *arrogantia hominis fuit*, qui honorem ab Operis editione exſpectandum, in ſe ſolum deriuare uolebat. Credibile etiam eſt, quod per iſtam *Iungermanniani ſubſidii* callidam diſſimulationem quamplurimis Lectoribus impoſuerit BESLERVS, ut pro deſcriptionum Botanicarum, atque adeo totius Libri Auctore uero ipſum haberent. Mihi uero, quo minus idem credam, obſtant (praeter illud iam allatum) clara nimis alia in contrariam partem teſtimonia. Primum eſt laudati ſaepius, magni Viri, D. GEORGII REMI; cuius, αὐτόγραφον *epiſtolae ad* IVNGERMANNVM, d. 15. Ian. A. 1614. Lipſiam datae, aſſeruatur in Bibliotheca noſtra Academica: Vnde mihi libuit ſequentia decerpere : *Cum Nobil. Dn Andr. Schmidmerus, ante menſem de carmine ſollicitaſſet, quod Te lectione dignum affirmabat, ſane id tanti non eſſe dictitabam, quod nec BASILIVS BESLERVS luce dignum cenſuit. Itaque tenebris inuoluendum iudicaui. Quando uero inſtas, nec quieſcis, utique ea lege atque omine mitto, uti lectum concerpas, neque ulli mortalium communices. TIBI et BESLERO mutuas operas adſcripſi, ut eo tolerabilius impetra-*

(*) Vid. Praefat. ad *Muſei Besleri rariora*, An. 1617. in fol edita.

petrarem editionem; fors maluiſſet, ſibi adſcribi totum, quod tamen totum Tuum eſt, Tuae induſtriae, Tuae eruditionis. Miror, ſed nil demiror. Tibi laudem debitam in ſolidum aſſerere paratus ſum, et ultro delebo τὴν κοινωνίαν confectionis commentarii de uocibus herbarum, etc. Alterum, quod adducere placet, eſt GREG. HORSTII tunc Med. Profeſſ. Gieſſenſis, qui iſtam BESLERI iniquitatem, plagio haud meliorem, recte ſubolfecit, atque *in literis* ad IVNGERMANNVM, Lipſiam perſcriptis d. 21. Decembr. A. 1613. hunc in modum notauit: *Miratus eram hactenus, cur Tui nunquam in iſto Opere Botanico mentio fieret? cum tamen facillime colligerem, iſtas annotationes additas forte Tuas eſſe; ſed mirari deſino, poſtquam hominem iſtum ſuis coloribus depingere uoluiſti.* Et profecto haud mediocris audaciae ſpecimen id fuit, quando bonus ille quidem *Medicamentarius*, BESLERVS, ſe tanquam auctorem, Latini etiam textus *Horti Eyſtettenſis*, uenditare non erubuit, qui tamen adeo rudis in latina lingua fuit, ut nec *Praefationem Libri*, ſuo ſub nomine diuulgatam, componere nouerit, utpote cuius *Prototypon*, ab ipſius fratre HIERONYMO, Doctore Medico praeſtantiſſimo conſcriptum, dubitanti cuiuis monſtrare poſſum. Addo autem tertium quoque, pro IVNGERMANNO teſtimonium, idemque omni exceptione maius, ſcilicet IO. GEORGII VOLCKAMERI, *Senioris quondam in inclyto Collegio Med. Nor. grauiſſimi*, cuius in *effigiem Iungermannianam*, aere expreſſam, talis extat ſubſcriptio:

Horti Altorfini Sol, IVNGERMANNVS, et Autor
Eichſtadiae Florae, ſic LVDOVICVS erat.

Quae omnia, ſiquidem perſpecta ſatis fuiſſent b. D. LOCHNERO, facile omnem euellere potuiſſent ſcrupulum, circa ueritatem, perperam in dubium uocatam, *quod et quantum noſter, ad horti Eyſtettenſis elaborationem contribuerit;* quamuis etiam, praeter iſta, omnino magis aequum fuiſſet confidere in *Programma*, nomine totius Academiae noſtrae in publicum datum, quam in ambitioſi iſtius *Pharmacopoei*, et ingrati hominis, de IVNGERMANNI meritis ſilentium.

Poſteaquam ita ſatis dilucide, ut opinor, expediui controuerſiam illam, ad reliquas *uitae* IVNGERMANNI partes explicandas progredior. Inuenio autem, ipſum *Norimberga* ſe recepiſſe in patriam, ibidemque circunſpexiſſe, qua demum ratione poſſet publico prodeſſe amplius ſcientia ſua, quum etiam priuatum uitae genus, ſub exiſtimationis et honeſtae ſuſtentationis difficultate, in longius ducere uereretur. Et apparebat quidem aliqua ſpes adipiſcendi officii *VVittebergae;* cuius rei indices habeo literas, ad noſtrum exaratas a TOB. TANDLERO, Medicinae in Academia iſta Profeſſore. Cum uero tardius id negotium aliaque conſilia procederent, opportune is, quem antea citaui, GREG. HORSTIVS ſignificauit noſtro, patere ſibi aditum ad *Botanicam Profeſſionem in Alma Gieſſenſi;* cum et *Ampliſſ. Senatus Academicus*, et ipſe *Princeps Sereniſſ.* LVDOVICVS, *Haſſiae Landgrauius*, ad uocationem illius benigniter conſpirarent. Quare denuo in illum, ſibi iam pridem quaſi praemonſtratum locum rediit A. 1614. ab omnibus bonis cum deſiderio et applauſu exceptus. Quanta diligentia nouam functionem ſuam ſit aggreſſus, teſtatur idem ille HORSTIVS in *epiſtola* ad HENNINGVM ARNISAEVM (*): *Hortum noſtrum Academicum D. IVNGERMANNVS excolit, quem Florae filium eſſe certo Tibi perſuadeas, quum etiam plantas ſomniet.* De aliis ipſius Academicis laboribus, ibidem exantlatis, uix quicquam ſpeciatim commemorare poſſum, niſi quod *Rectoris Academici* munere perfunctus ſit ſemel, et eo quidem fatali anno 1624. ſub cuius finem, aut ſecuti initium, *Clementiſſimus* caeteroquin *Muſarum Gieſſenſium Nutritor*, ſaeuitia Martis, ac deuaſtatione regionum ſuarum plane coactus, totum Corpus Academicum aegre diſſoluit, Profeſſores autem ſingulos, ipſumque adeo IVNGERMANNVM gratioſe dimiſit.

Quamprimum fati tam aſperi triſtisque fama percrebuit, non defuere quidem Noſtro alibi honeſte uiuendi conditiones, in *Dania*, tum et *Roſtochii* itemque *Rintelii*, ſicut e MStis amicorum literis ad IVNGERMANNVM datis, abunde mihi conſtat. Hic uero nullam earum accepit, quemadmodum et antea oblatam ſane honorificam occaſionem, ſuccedendi in locum

(*) Epiſt. Med. Lib. I. p. m. 308.

locum MATTH. LOBELII, *Botanographi Regii Londinenſis*, non tam neglexiſſe, quam per modeſtiam declinaſſe uidetur. Omnibus autem antetulit opportunitatem inſeruiendi *noſtrae Academiae*, admonitus quippe ab amico ueteri CASP. HOFMANNO, ut deſideratum *Botanicae* pariter et *Anatomiae Profeſſoris*, itemque *Horti Med. Inſtauratoris officium* ſuſciperet, quod benigniſſimi *Muſarum* CVRATORES, conſiderata Facultatis Med. iuſta commendatione, illi deſtinauerant. Nec deſtitit laudatus HOFMANNVS ſollicitare, ut maturaret aduentum; Epiſtolam ideo ſcriptam (quae in manibus meis eſt) concludens hoc uerſiculo:

Nil mihi reſcribas, attamen ipſe ueni!

Venit autem ad nos auctumno A. 1625. dieque 10. Nou. mandato *Superiorum* receptus eſt in *Senatum Acad.* Proinde omnem curam adhibuit ad *Hortum Med.* inſtruendum, ac peregrinis ſtirpibus (quarum permulta ſemina ſecum attulerat) exornandum; cuius *memoriam ſaecularem*, altero abhinc anno, ſolenni quadam ratione celebrandam, pio quodam animi affectu mihi ſumpſi, et in *Oratione*, hanc in rem habita, cum de ipſomet *horto*, tum de primo eius cultore ac *Praefecto* IVNGERMANNO plura diſſerui, quae cuncta hic repetere ſuperuacaneum fore arbitror. Caeterum induſtrius ille Vir, exiguo tempore, adeo locupletauit hortum ſuum, ut certatim accederent *Amaſii Florae*, et amicum commercium cum *Noſtro* quaererent. Et ille quidem ſua non minus comitate et officioſa liberalitate, quam ſcientia rei herbariae exquiſita, omnium expectationem ita ſuſtinuit, ut fere dubium fuerit, utrum *horto* tam uberi, an *Praefecto* tam digno ac liberali maior deberetur gratia? Poſſem, ex iſto haud tenui epiſtolarum (quas meo aere mihi comparaui) uolumine, non pauca producere nomina *Celeberrimorum* t. t. *Botanicorum*, qui IVNGERMANNI amicitiam coluerunt, eiusque ſubſidio gauiſi ſunt. Ex eorum numero iam ſupra notaui CASP. BAVHINVM (*), cuius

 etiam

(*) Idem C. BAVHINVS, tam in *Prodromo*, quam in *Pinace Theatri Botan.* poſt praefat. inter eos laudat IVNGERMANNVM, qui plantis ac ſeminibus miſſis ipſum adiuuarunt.

etiam filius, IO. CASPARVS, ut in Profeſſione Botanica, ſic in amore et cultu erga *Noſtrum*, Parenti ſuo rite ſucceſſit. *In Academia Ienenſi* primus Horti Med. inſtaurator, ROLFINCIVS, quanti Noſtrum fecerit, alibi relatum abs me eſt. Qui uero illi ſucceſſit PAVL. MARQVARDVS SLEGELIVS, in Litt. MStis inter alia ſic infert: *Elogium inuidendum, ut ſcribis, quod Programma meum Tibi tribuit, ſine inſigni nequitia et ingratitudine non omiſiſſet; alia enim ratione Tibi ſoluere Minerual non datum eſt, quam ut perpetuo, quacunque occaſione obuia, Tua praeconia cantem, et inuidendas Florae diuitias omnibus monſtrem et explicem. Adeſſes utinam, aeſtiuis et herbaceis meis praelectionibus, quas quotidie in hortulo inſtituo! Sine honorifica Tui nominis mentione, nullam transire obſeruares, ita, ut parum abſit, quin affirmare auſim, Te in hortulo meo celebriorem, quam in amplo ueſtro Florae theatro reddi, quia auditorum frequentia nunquam non ſtipor,* etc. Atqui hoc ipſum eſt, quod, ſicut uniuerſae Acad. Noſtrae, ſic ſeorſim *Horti Med.* praeſtantiae ac dignitati nunquam non male conuenit, ſiniſtrum quaſi fatum quoddam, infrequentia nempe ſtudioſorum. Caeterum quanto extra Germaniam quoque in pretio fuerit IVNGERMANNVS cum Flora ſua, uariis comprobare poſſem exemplis, cum et IO. PARKINSONVS, *Londinenſis Botanicus Regius*, in iisdem occurrat. E reliquis autem nequeo praeterire ſilentio IO. VESLINGIVM, in Lyceo Patauino herbariae rei Profeſſorem, ſua tempeſtate celeberrimum, cuius e literis, ad Noſtrum, compluribus, delibare nonnulla in gratiam curioſi Lectoris haud poenitebit: Ita autem ille: *Nomen meum inter cultores Tuos profiteor, quamuis per incultas haſce literas. Et profanus forſan uidebor, nec ante penetrali Tuo dignus, quam rite initiatus fuerim: hac tamen ueſte Tibi placebo, quod Te oculis alioquin incognitum, diu tamen ingenue et acriter amauerim. Tanta enim ſunt, quae de Te non mendax fama ebuccinat, tam praeclarae CONTARENI mei uoces, ut uel apud ſtupidos, nedum in hoc praeparato pectore melioris affectus poſſeſſionem merearis. Horti Med. Praefecturam, iuxta cum Anatomicis, Illuſtriſſ. Gymnaſii Patauini Triumuiri mihi decreuerunt; Horti ſane, qui partim nimia ſtudioſorum licentia, partim*

partim incuria antiſtitum, plurimum attenuatus, indiget Tua Tuique ſimilium benignitate, ut recollectis ſelectioribus aliquot plantis, ſi non tueri, ſaltem agnoſcere queat priſtinam aeſtimationem. etc. In aliis idem: *Habui a D. VOLCKAMERO, horti ueſtri plantarum catalogum, qui mihi ſane gratiſſimus fuit. Quid in eo ſit, quo iuuare Floram noſtram et ornare poſſis, chartula incluſa exhibebit. Fac igitur, Virorum Optime, ut beneficium TIBI debeamus, exiſtimesque, non minorem fore ſollicitudinem meam, ut gratum et beneuolentiae Tuae me deuinctum experiare* etc. Rurſus ex aliis eiusdem VESLINGII literis: *Tibi ſane, Vir Clariſſime, gratias me debere profiteor maximas, quod tam benigne largiterque mihi ſatisfacere uoluiſti, atque inpoſterum etiam, male feriantium hominum incuria illatum detrimentum, auctumnali ſeminum prouentu, reſarciturum Te promittis* etc. Addo unius inſuper epiſtolae fragmentum: *Indicem Plantarum, quibus is anno praeſente (1642.) qualicunque opera mea exornatus, quidni Tu quoque uideas, Vir optime atque humaniſſime? Nam cum eorum, quibus uolupe eſt, floream hanc familiam cognoſcere, plurimos habeam; cui magis tamen probari uelim hoc tenue induſtriae meae ſpecimen, praeterquam Te, deſidero neminem: cuius benignitati debeo, quod dignum iudicem hortum noſtrum, ut publice ſtatus eius innoteſcat* etc. Ex hisce unius, aſt profecto magni Viri, honorificis declarationibus haud difficulter licet colligere, quid alii ſenſerint de IVNGERMANNO, qui etiam antequam noſter factus eſt, promeruit, ut CASP. BARTHOLINVS, Senior, Danorum Philoſophus pariter ac Medicus aetate ſua clariſſimus, iudicauerit (*): *In Botanicis excellere qui cupit, certe uoti compos fiet facilius ac felicius ex conuerſatione D. IVNGERMANNI, quam alibi.*

Et ipſe quidem iſtam de ſe, hortoque ſuo, bonam exiſtimationem tueri nouerat, etiam per calamitoſa tricennalis belli tempora, de quibus tametſi conqueſtus in *Praefat. Catal. Plantar.* A. 1635. edito, nec tamen ab iisdem in eam deſperationem adduci ſe paſſus eſt, ut manum aut animum a cultura eius retraheret; quin potius ueluti triumphans de ſae-

(*) in conſilio de ſtudio med. inchoando, contin. et abſolu.

de ſaeculi iniquitate, iſtud ſpecimen ſuorum profectuum publice uenditauit, et adiutores eius, hilari non minus quam grata mente celebrauit; inter eos nominatim PHILIPPVM, *Haſſiae Landgrauium Celſiſſimum*, Illuſtr. NIC. CONTARENVM, *Senatorem Venetum*, D. D. ADOLPHVM VORSTIVM, *Profeſſ. Lugd. Batau.* GILLENIVM et COMBACCHIVM, *Medicos Caſſellanos*, IO. NEVDORFFERVM, *Norimb.* VVILH. ERN. SCHEFFERVM, *Francof. Medicos*, SIGISM. DEVRLINVM, *Senatorem Lipſienſem*, IO. PONAM, *Pharmacop. Veronenſem*, aliosque plures, quorum liberali appellatione memorem in bene meritos animum ſignificare ſategit Vir Optimus.

Vt autem eo magis libere uacaret deliciis Florae ſuae, *coelibem uitam traduxit* honeſtiſſime. Diſſuadentibus eam, tunc ſe mutaturum ſpopondit, quando quis incognitam ſibi plantam obtulerit. Tanta erat Viri eo in rerum genere peritia, et in hanc fiducia! Exprobrantibus uero interdum foemellis ac uiraginibus coelibatum, cum quadam laſciuia et petulantia, ut fieri ſolet, parum reſpondens, ſaltem in uindictam iocularem offerre iuſſit hortulanum inſertam florum faſciculis *urticam Romanam*, loco *Amaraci*, aut *olidam atriplicem*, ipſis exploratoribus curioſis relicta interpretatione ioci. Neque tamen in communi uita deprehenſus fuit moroſus, quin potius comitatis et affabilitatis ſingularem laudem conſecutus eſt ab omnibus, quibuscum uerſaretur. In conuictu quotidiano ſemper habuit aliquos bene moratos iuuenes ſtudioſos, et huiusmodi unum in eodem ſecum contubernio, qui, conſuetudine tanti Viri, uirtutibus et doctrina ornatiſſimi, non potuerunt non gaudere magno emolumento ſuo. De hoc ualde gloriatos eſſe conſtat laudatiſſimum IO. GEORG. VOLCKAMERVM, et LVCAM SCHROECKIVM, Seniorem, cuius literas, poſt ipſius diſceſſum, uariis locis ac temporibus ad IVNGERMANNVM ſcriptas, iucundiſſimae recordationis ac uenerationis plenas, iuxta cum aliis aſſeruo; quemadmodum reſponſiones illius ad SCHROECKIVM, paterno quaſi amore abundantes, inſpiciendas mihi beneuole permiſit Filius ὁμώνυμος, tam pio Parente digniſſimus, *inclytae Societatis Nat. Curioſ. Perilluſtris ac meritiſſimus Praeſes*, *Caeſaris et Reip. Patriae Archiater*, multoque pluribus honorum titulis celebratiſſimus.

Minime

Minime uero exiſtimandum eſt, quod adeo penitus tanquam priuatus heic uixerit IVNGERMANNVS, aut praeter *Hortum* ſuum curauerit nihil; quando et *Facultatis Med.* negotia nunquam non diligenter obſeruauit, eiusque praeſidio (quod *Decanatum* uocant) nouies, totius uero *Academiae Rectoris* munere ter functus eſt, ea qua par erat uigilantia atque prudentia. Pacis, inter Collegas, erat amantiſſimus, et cum nonnunquam orirentur diſſidia, ipſe arbitrum egit, blandiſſimis uerbis adhortatus ad concordiam: *quaeſo, amemus nos inuicem!* cuiusmodi paraeneſin non ſemel ex ore eius audiuiſſe ſe teſtatus eſt Venerabilis Eccleſ. Antiſtes, D. GEORG. KOENIGIVS. De aliis officii partibus, praeſertim *Anatomicis*, quod referam ſingulare nil habeo, nec dicere poſſum, an et quoties ſtudioſos Medicinae *diſputando* publice exercuerit? Difficultatem quampiam in eloquendo, modeſte notauit laudatus KOENIGIVS, fortaſſe per ultimam aetatis periodum ipſimet ſenectuti imputandam: quamuis et noſtro amiciſſimus GREG. HORSTIVS, teſte quadam epiſtola, eundem iam olim humaniter admonuerit, ut dimitteret inanem diffidentiam et metum in differendo publice: Nimirum: *nec omnia poſſumus omnes!*
Fuiſſe autem IVNGERMANNVM in ſtudiis humanitatis ac literarum probe uerſatum, omnia eius, quae extant, ingenii monumenta, et inprimis tot *Poemata*, ſeorſim *Anagrammata* (*) ſatis arguta confirmant; ut inter *Medicos Poetas* haud infimum mereatur locum.

Vitae tandem ſatur, tot aerumnis ac laboribus ſuperatis, pedum etiam doloribus per multos annos ſubinde uexatus; animo tranquillo exſpectauit beatam analyſin; cuius prodromum ipſe haud difficulter praeſenſit, antiquum nempe *ulcus in crure ſiniſtro uergens in gangraenam.*

(*) Ex omnibus unicum, ſpeciminis loco, ſubiicere placet, quod amantiſſimi olim contubernalis ac auditoris ſui, D. Schroeccii, Philothecae adſcripſerat: LVCAS SCHROECCIVS, *per Anagramma (ſine aſpirat.)* SIC LVCE CORVSCAS.

Euolutio.

Artibus et ſtudiis nomen memorabile quaeris,
SCHROECCI, perpetuans inde reſurget honor.
SIC anagrammatico pro ſchemate, LVCE CORVSCAS;
Scilicet in docto cardine, LVCE, Virûm.

Haec mortem attulit haud improuiſam, decenter praeparato ad iter coeleſte optimo Sene, d. VIII. Iun. A. cIↄIↄcLIII. propemodum exacto aetatis anno LXXXI. quo nemini Anteceſſorum et Succeſſorum ſuorum hactenus in Medica Facultate, quin nec ulli ex reliquis Profeſſorum noſtratium Ordinibus, pertingere uiuendo licuit. Pietatis ſuae documenta, ſicuti uiuens multa multis dare ſtuduit, ita praeter *Hortum Medicum*, non ſolum conſilio, ſed et manuum ſuarum opera, feliciter excultum, *librariam ſupellectilem ſuam* uſibus publicis deſtinauit, et Bibliothecae Academicae legauit, facta ſic acceſſione numeroſa, ſcriptorum praeſertim Botanicorum.

Taceo *Herbarium* (quod uulgo dicunt) *uiuum*, unico quidem, ſed ampliſſimo uolumine, maioris formae, ultra duo millia plantarum, ſtudioſe diſpoſitarum ſpecies ordinate complectens, quamuis complures aut ſitu corruptae, aut a uermibus deſtructae iam ſint, damno quidem dolendo, ſed eo minus mirando, quo magis notum eſt, eiusmodi theſauros aetatem non ferre; quando

Mors etiam ſaxis marmoribusque uenit!

Caeterum, ut bonitatis ſuae monimentum aliquod ſeparatim ſtatueret ſuis in Facultate Med. ſucceſſoribus, *poculum argenteum* haud exigui pretii iisdem reliquit. De multis igitur bene mereri adeo cupidum IVNGERMANNVM, ſi multi etiam boni Viri, quantumuis matura morte extinctum, grati animi deſiderio proſecuti ſunt, mirum non eſt. Et poterunt ſane indicio eius eſſe tot *Epicedia*, a celeberrimis noſtrae non modo, ſed et Lipſienſis Academiae Profeſſoribus, ſcripta, *Conſioni funebri* (quae excuſa eſt Lipſiae) annexa. Sed neque defuerunt, qui uiuo adhuc et florenti applauderent ſubinde lepidis poëmatibus, et paria rependerent ipſi paribus, ſaepe non minus honorifica quam felici Muſa. Eiusmodi uaria poſſem e MStis producere IO. PETRI LOTICHII, Poëtae et Medici, IO. LVDOV. FVRERI, Poliatri et Senatoris Northuſani, in re herbaria uerſatiſſimi plane Viri, tum et PHILIPPI MVLLERI, Profeſſoris Lipſienſis, ſingulorum inter intimos noſtri amicos; ſed nihil eorum exire in publicum permiſit Vir modeſtiſſimus; quare porro

porro lateant abſcondita, unico excepto, quod GEORG. FABER, Medicus Iſenacenſis effinxit, praeter omnem oſtentationem, ad mores et labores τῦ μακαρίτυ pulchre accommodatum *Anagramma*:

LVDOVICVS IVNGERMANNVS.
MVNVS LAVDE CVRIS IVNGO.

Omnia curarum ſunt plena, ſed omnia praeſtat
Cura hominis ſolers, ingeniumque ſagax.
Noſſe poteſtates herbarum, uſumque medendi
Eſt mihi cura grauis, munus idemque meum.
Producunt uarias haec tempora; ſcrior aetas
Fert alias curas; uitaque plena nouis.
Ergo nec immerito grauibus pro tempore CVRIS
Heic MVNVS IVNGO LAVDE, fideque gero.

* * *

SCRIPTA LVDOV. IVNGERMANNI EDITA.

1. Diſputatio inauguralis, de *Catarrho*, Gieſſae, 1610. 4to.
2. *Catalogus Plantarum*, quae circa *Altorfium Noricum*, et uicinis quibusdam locis (naſcuntur), recenſitus a CASP. HOFMANNO, Altorfi, 1615. 4to.
3. *Cornu-copiae Florae Gieſſenſis*, prouentu ſpontanearum ſtirpium cum Flora Altorfienſi amice et amoene conſpirantis, uti Lipſienſium, VVittebergenſium, Ienenſium quoque deliciis herbarum abundantis. Gieſſae, apud Nicol. Hampelium, 1623. 4to.
4. *Aulaeum Academicum*, in quo Clariſſ. Profeſſorum, quibus Athenaeum Gieſſenſe maxime inclaruit, Anagrammata etc. exhibentur ſtudio et opera LVD. IVNGERMANNI, Med. D. et Prof. et Botanici Ordinarii, atque ibidem Rectoris Acad. ultimi, Gieſſae 1624. 4to.
5. Catalogus Plantarum, quae *in Horto Medico et agro Altorphino* reperiuntur, Altorphi, 1635. 4to.
6. Catalogus Plantarum, quae *in Horto Medico et agro Altorphino* reperiuntur, auctus et denuo recenſitus, Altorphi, 1646. 8uo.

ΑΝΕΚΔΟΤΑ.

Viridarium Lipſienſe ſpontaneum, ſeu Enumeratio Alphabetica DCCC. *fere Plantarum*, *quae circa Lipſiam et uicinis locis ſpontaneae ſunt.* 4to. Pars huius operis, quaſi media, ipſius IVNGERMANNI manu ſcripta eſt, reliquum alienis. Deſunt pauca folia, in medio et fine. Caeterum paſſim adſcriptae ſunt obſeruationes ſingulares, tam de differentiis et characteribus ſtirpium naturalibus, quam de uirtutibus; ubique etiam locis natalibus accurate indicatis; ut plane dignum iudicem opuſculum, quod ab aliquo D. D. *Lipſienſ.* perficeretur, atque ad hodiernam Botanicae rationem expoliretur.

Horti Medici Gieſſenſis ichnographia, duabus comprehenſa tabulis, in Fol. Singulis areolis ſeu puluillis inſcripta ſunt nomina Plantarum, quas tunc produxerant.

Catalogus Herbarum circa Gieſſam ſponte naſcentium, iuxta ſeriem et appellationem TABERNAEMONTANI *collectus Anno* 1623. 4to.

Haec memorata hactenus, cum quibusdam *fragmentis Collegiorum, Medici argumenti, Oratione* item in Promot. Doct. a IVNGERMANNO habita, nec non ſchedis aliis minoris momenti aſſeruantur in Bibliotheca noſtrae Academiae. Extant uero etiam ibidem *Catalogi Plantarum*, illius manu deſcripti, uarii, uidelicet *Horti Robiniani* Pariſiis: *Horti Fureriani*, Northuſae, cum ſyllabo earum, quae in *Hercynia Sylua* ſponte proueniunt: *VValliſeriani*, Argentinenſis: *Tradeſcantiani*, Londinenſis, etc.

Catalogus Plantarum, circa Francofurtum ad Moenum ſpontanearum, a LVDOV. IVNGERMANNO compoſitus, et cum C. BAVHINI *Catal. Plant. Baſil.* conciliatus; aliquando deſcribendus mihi obtigit e MSto Bibliothecae SEBAST. SCHEFFERI.

MAVRI-



MAVRITIVS HOFFMANNVS,
Fürstenwaldenſis.
*Medicinæ D. et in universitat. Altdorfina
per 50. annos Profesſ. Primar.
Electoris et March. Brand. et Duc. Würtemb. Conſiliarius
et Archiater, Collegij Medici Noriberg. Senior,
ac Poliater Altdorfinus.
Nat. d. 20. Sept. A.° 1621. Den. d. 22. April A.° 1698.* Kilian ſc.

MAVRICIVS HOFFMANNVS.

In huius Viri curriculo uitae exponendo, quod ordo nunc poſtulat, plurimum me alleuatum profiteor a b. M. D. OMEISIO, Profeſſore Philoſopho, et Oratore olim noſtrae Academiae excellentiſſimo, qui memoriam illius, ſingulari et elegantiſſimo ſcripto (*) ita celebrauit, ut mihi, quod adderem, parum ſuperſit aut nihil, ſolo fere tranſcribendi officio relicto. Hoc igitur Tibi L. B. tanto lubentius praeſtabo, quanto magis idoneum et accuratum illius uitae ſcriptorem ſecuturus ſum, talem ſcilicet, cui et perſona, et res geſtae, et fata HOFMANNI magnam partem perſpecta optime fuerunt. Hoc unicum mihi liberum eſſe uelim, ut pro inſtituti ratione omittam *prooemium*, paullo diffuſius, ad hiſtoriam ipſam non pertinens, hanc uero interdum breuioribus ſententiis coarctem; in perpaucis denique corrigam, ſicubi poſteriora tempora, praeſertim circa *familiam Hoffmannianam*, diuerſum ab eo, quod OMEISIVS retulit, annotandum ſuppeditauerint.

MAVRITII HOFFMANNI natale ſolum eſt *Marchia Electoralis Brandenburgenſis*, eaque *media*, in cuius oppido, *Fürſtenvvaldio* ad Spreuam, in lucem editus ille eſt, anno Saeculi ſuperioris XXII. d. XX. Septembris, circa tertiam pomeridianam, Patre DAVIDE HOFFMANNO, Iudice ibidem, et Conſule Seniore; Matre ſpectatiſſima nobilique Matrona, ANNA, memorati iam ſupra pag. 66. MARTINI NOESSLERI filia. Mox a natiuitate ſacro fonte tinctus eſt noſter, adhibitis, pro loci conſuetudine, ſuſceptoribus quinque; ſed infanti ſolum MAVRICII praenomen inditum, quo dies lauacro ſanctiſſimo deſtinatus in Faſtis tunc notabatur. Emicabant ſtatim e puſione, inter prima aetatis incrementa, elegantis et eximiae indolis ſigna, quocirca Parentes optimi officio ſuo nequaquam deeſſe uoluerunt, ſed filiolum quantocyus fidelium informatorum curae, tam intra quam extra aedium ſuarum limina tradiderunt, a quibus pietatis morumque rectorum tyrociniis imbueretur. Incidit uero imbecillis MAVRICII aetas in tempora longe difficillima, utpote quibus patria ipſius uariis cum calamita-

(*) An. 1699. in fol. edito.

tibus publicis miſerrime conflictabatur. Et quidem cum dira peſtilentiae lues cum *Fürſtenvvaldium* inuaſiſſet, anni iſtius ſaeculi XXV. noſter una cum fratre DAVIDE, relictis penatibus, in GEORGII FRANCKII, Schoenfeldenſis, deinde IO. PISCATORIS, Storckauienſis, Paſtorum, diſciplinam traditus eſt. Cum uero A. XXXI. *Marchiam Brandenburg.* tam Caeſareanorum quam Suecicorum ſigna peruolitarent, et arma utrorumque grauiter eam affligerent, MAVRICIVS una cum parentibus, fratre ac ſororibus, metu perterritis, capeſſere fugam et alias poſt alias ſedes quaerere coactus eſt; donec ſequente tranquillitate quadam, ac malacia, comite fratre in illuſtre Gymnaſium Brandenburgenſe, cui *Vallis Ioachimi* nomen dedit, ad *Grimnitzium in Marchia Vckerana* miſſus eſt, ubi triennium fere commoratus, artibus iis, quae ad humanitatem ſpectant, tam ſtrenuam nauauit operam, ut Clariſſ. Praeceptorum, SAM. DRESSENII, IO. BAPT. MARTINII, CHRIST. SAGITTARII amorem ac commendationem prae multis aliis commilitonibus promereretur. Et uidebatur quidem HOFFMANNVS iam in Muſarum, imo fortunae benignioris ſinu placide conquieſcere, cum nouus oriretur turbo, patria nempe denuo uaſtata, et Gymnaſio iſto A. XXXV. ferro flammisque funditus exciſo; ipſe quoque cum fratre aliisque diſcentibus aeque atque docentibus, tempore nocturno *Angermundam* fuga elapſus, indeque mox domum reuocatus eſt a Parentibus honoratiſſimis; quorum animos iam noua fatigabat cura, quo loco, quibus adminiculis, tela ſtudiorum a filiis non infeliciter coepta, proſpere pertexeretur? Tandem natu maior, DAVID, *Cuſtrinum*, ad auunculum ADAMVM NOESSLERVM, qui ELECTORI BRANDENB. a Conſiliis et Feudorum ſecretis erat, ablegatus, ibidemque frequentare Gymnaſium; MAVRICIVS uero iis, quae edoctus eſſet hactenus in Muſarum Palaeſtra, contentus eſſe, et amplius pingendis ſcite literis dare operam, inque Arithmeticis ſtudioſius exerceri iuſſus eſt. Hic autem, ut fit in animis generoſis, e diligentia priſtina non remittere, non quieſcere, ad literas politiores ardentius, reluctante licet fortuna adſpirare, propoſitum urgere, de eoque Parentes frequentius ſollicitare. Ac Mater quidem non diſſentiebat, ut ipſum, exemplo fratrum

fratrum ſuorum quatuor Doctorum, ad continuanda ſtudia ſaepius inflammaret: Qua, anno ſaeculi XXXVI. pie defuncta, cum ille nihilo ſecius perennantis in cultiores literas amoris multam ederet ſignificationem, CHRISTOPH. MVLLERVS, *Rector ſcholae Furſtenvvaldenſis*, indolem adoleſcentis exoſculatus, et ſpe ſingulari de eo concepta, Patre neſciente, an diſſimulante? priuata informatione illum eo perduxit, ut non paucis induſtriae ſpeciminibus a filio editis permotus Parens, ineunte uere A. XXXVII. in celebre *Gymnaſium Colonienſe ad Spreuam* iſtum miſerit, ubi ducibus Viris Clariſſimis, M. ADAMO ROMANO, et SEBAST. KRVGERO, in Artibus porro liberalibus, ſpeciatim Dialectica et Rhetorica, ualida ſatis iecit fundamenta. Cum uero et hinc, anno uergente, annonae grauitate, peſtisque furore abigeretur, *Coeppenicum* ſe recepit, quo fugerat *Furſtenvvaldio*, eodem peſtilentiae malo compulſus Parens. Hunc poſtea ibidem mortifero decumbente morbo, ſicut MAVRICIVS omni officio ac pietate, non ſine ualetudinis propriae diſpendio eſt proſecutus, ita ipſi Genitor, agoni ſupremo proximus, peculiare legatum teſtamento relinquere uolebat, ut eo feliciores in ſtudiis progreſſus facere poſſet: quam uero beneuolentiam ſingularem, raro amoris erga fratrem ac ſorores exemplo, modeſte Noſter eſt deprecatus, ac Patrem potius obteſtatus, ut Auunculo, D. GEORG. NOESSLERO, Med. D. ac Prof. Altorfino (quod ante obitum ſuum Mater quoque ardentius optauerat) ipſe ac ſtudia ſua maiorem in modum commendarentur. Egit hoc moribundusParens, in nouiſſimis ad NOESSLERVM datis literis, ea qua poterat diligentia ac humanitate, et paullo poſt, cum MAVRICIO multam in terris felicitatem diuinitus exſpectandam praenunciaſſet, (uti ſolent animae corporibus egreſſurae non uerba fundere, ſed oracula) in DOMINO placide obdormiuit. Vtroque igitur Parente orbatus Noſter, menſe Maio Anni XXXVIII. *Noricas* adiit *Athenas*, ab Auunculo celeberrimo, huiusque Coniuge nobiliſſima, *Catharina Pfaudia*, beneuole exceptus, ac filii inſtar liberaliſſime tractatus. O felicem igitur MAVRICIVM, quod in eius Viri contubernium aſſumtus fuerit, ubi nihil uidit niſi ſanctum honeſtumque, nihil audiuit, niſi ſalutare aut profuturum! O beatum, cui contigit uſuum,

uum idemque optimum et quotidianum exemplar, quod haberet imitandum, et cui ſanguinis coniunctio prudentumque uota ſimillimum uoluere! *Altorfii* igitur HOFFMANNVS, DEO et Auunculo fauentibus, etſi planta priorum temporum malignitate toties translata, feliciſſime coaluit. Hic enim non degenerum quorundam more, ſub umbra Academiae delitefcens, otio marcuit aut luxu, ſed ut terrae uariis mutatisque ſeminibus recoluntur, ſic ingenium bonis artibus ac ſcientiis, uitam rectis moribus perpoliuit. Et Ducibus quidem Clariſſ. KOBIO, IAC. BRVNONE, et RVPERTO, magnis procedebat paſſibus in Philoſophiae, tum contemplatricis, tum actiuae ſtudio, in perluſtrandis Hiſtoriarum et Antiquitatum monumentis, nec non ſermone Latino et Graeco perfectius excolendo. Hinc non minus facile quam glorioſum poſtea fuit MAVRICIO, de re omni cogitata tam terſe, eleganter, perſpicue Latino ſermone diſſertare, ac ueteris Graeciae, Latiique auctoribus Hiſtoricis, Oratoribus, Poëtis, et cumprimis Medicae artis ſcriptoribus familiariter uti, et cum ipſis quotidie uerſari. Elegantioribus uero iſtis ſubſidiis ornatus ac praemunitus noſter, animum appulit ad Medicinam; huius inter prima ſtatim rudimenta, quo attentius acceperat ueriſſimum iſtud Magni *Coi Senis* effatum; *Artem longam eſſe*, *uitam breuem*, *experientiam difficilem*, eo ardentiori ſtudio inflammatus publice ac priuatim audiuit CASP. HOFMANNVM, GEORG. NOESSLERVM, et LVDOV. IVNGERMANNVM, qui eo tempore ſimul omnes medicandi ſcientiam, inſigni fama gloriaque nominis ſui profitebantur. Ac NOESSLERVS quidem non ſolum excellens Medicus, ſed et ſagaciſſimus naturae ſcrutator, pro ratione coniuncti muneris, Artem Machaoniam ita docuit ac propinauit, ut praecepta Phyſices, de naturae principiis, rerum coeleſtium ac Φαινομένων cauſſis, animalium ortu, uictu, figuris, animorum quoque et corporum affectionibus ac perturbationibus, apte perpetim miſcuerit, et copulauerit: IVNGERMANNI autem ſub auſpiciis laetiſſima noſter primordia coepit *ſtudii Botanici*. Deinde conſilio et auxilio laudatiſſimi Auunculi ſui A. XLI. *Italiam* petiit, ſtatimque *Patauium* intrauit, illud florentiſſimum Artis Poeoniae domicilium. Clarebant tunc ibidem BENED. SYLVATICVS,

Eq. D.

Equ. D. Marci, IO. DOMINICVS SALA, Patricius Patavinus, IO. VESLINGIUS, Eques Hieroſolymitanus, FRANCISCVS FRISIMELICA, Comes, ANGELVS MONTAGNANA, SEBAST. SCARABICIVS et PETRVS DE MARCHETTIS, magna profecto inter Medicos nomina. OCTAVIVS item FERRARIVS, Oratorum ſuo tempore Princeps. Hos omnes MAVRITIVS noſter modeſtiſſime ſalutavit, cognovit, audivit, inviſit, coluit; ab iisdem viciſſim, non vulgariter cultus & amatus. Rogabat aliquandiu poſt NOESSLERVS amiciſſimum affinem & Collegam, NICOL. RITTERSHVSIVM, ut per literas ad amicos quosdam Patavinos datas, in vitam & profectus ſororii inquireret; qui omnes, unanimi reſpondebant conſenſu, HOFFMANNVM cunctis pene commilitonibus induſtriae palmam reddere dubiam; non indulgere otio, Sirenumue cantibus, ſed aures ac pectus conſiliis doctrinisque ſaluberrimis implere; non argentum inutiliter conſumere, ſed inaeſtimabilibus ſapientiae theſauris mentem inſtruere; euoluendis rarioribus libris, & frequentandis praelectionibus, indefeſſam, non ſine ualetudinis diſcrimine locare operam; Verbo, a Magiſtris pariter ac aequalibus in oculis ferri. Et uero erat ipſi capax et ſublime ingenium, memoria expromta, iudicium perſpicax, ſuada dulcis et elegans, tantaque temporis parſimonia, ut inter deambulandum quoque commilitonibus ſuis lectiones, demonſtrationes, conſultationes Medicas, ſuaviter enarrare ac repetere ſolitus ſit; At ubi forſan eorum alii alias in opiniones abirent, ſententias omnes memoria comprehenſas domi in chartas coniecerit, hodieque inter MSta eiusdem reperiendas. Speciatim uero ipſius arridebat genio *ſtudium Anatomicum* et *Botanicum*. Itaque demonſtrationibus, quibus admiranda corporis humani ſtructura cognoſcitur, quoties dabatur occaſio, auidis oculis animoque interfuit, et diſſecantis obſervavit artificem dextram, VESLINGII praecipue, cuius magna in Arte iſta erat fama, maior eloquentia, quam accurata manus comitabatur. Imo et ipſe HOFFMANNVS, ſingulari dexteritate et artificio, ex hominis cuiusdam ſuſpenſi cadavere vaſa communia, Venas, Arterias, Neruos, per diſſectionem, quatuor et uiginti dierum hiemalium ſpatio, extraxit, inque tabula ordine expo-

N ſuit.

ſuit. Qua in arte multum quoque lucis ipſi affudit hoſpes IO. GEORG. VIRSVNGVS, Medicus Practicus Patavii Nobiliſſimus, qui nec ullam inſtituit ἀνατομὴν, aut operationem, iuncto ſibi niſi comite HOFFMANNO. Cum ita Noſter non modo cadauerum humanorum, ſed et brutorum ſectione, ad GALENI exemplum, mirifice caperetur, deprehendit A. XLII. in Gallo Indico, ignotum per tot ſaecula *ductum pancreaticum*, (*) eumque hoſpiti VIRSVNGO oſtendit; qui anſam inde arripuit, ductum eundem in cadauere humano quaerendi, eumque ſequentis anni principio publice demonſtrandi. Manet uero prima inuenti huius gloria in aeternum HOFFMANNO noſtro; tametſi propter publicam oſtenſionem primam, eadem communiter tribuatur VIRSVNGO, ſane vix meliori iure, quam quo inuenti noui Orbis gloria CHRISTOPH. COLVMBO adſcribitur, tametſi MARTINVS BOHEMVS, ex Illuſtri, adhuc florente patricia familia Norimb. ortus, eundem prior detexerit. (**) Caeterum Noſter cum Anatomiae ſtudio Botanicum ſtrenue coniunxit, eumque in finem ad *montes Euganeos Patavinos*, *Colles Vicentinos*, *iuga Montis Baldi Veronenſis*, *Inſulas Venetorum Lido et Malamocco*, tum et illuſtriora Viridaria, per quae Flora copioſius opes et ornamenta ſua ſparſerat, ſaepius excurrit, et ad concinnandum *Viuum*, quod vocant *Herbarium*, ultra duo plantarum millia collegit. Vnde non immerito IOACH. VITVS WIGANDVS, *de itineribus Philiatrorum* p. 157. HOFFMANNVM noſtrum *inſatiabilem rei Botanicae et Anatomicae heluonem Patavii fuiſſe*, literis memoriaeque prodidit. *Chirurgicas* autem *exercitationes* apud PETRVM DE MARCHETTIS, unicum AQVAPENDENTIS ſuperſtitem diſcipulum, Doctoremque ſuum domeſticum VIRSVNGVM, accurate perdidicit, eorumque, ut et SYLVATICI et SALAE, antea laudatorum, *Conſultationibus* grauiſſimis interfuit, aegros una cum ipſis inviſit, *Noſocomia* frequentavit, ſingulorum aegrotorum affectiones, cauſas morborum, ſigna, curandi methodum,

(*) Vid. *THOM. BARTHOL. Anatom. renovat.* Lib. I. cap. XIII.

(**) Vid. *IO. FRID. STÜVENII diſſert. de vero novi orbis inventore*, pag. 38. ſeq.

thodum, ac euentum in *diarium* ſuum retulit; quali opera quidem ad recte feliciterque medendum nihil utilius excogitari poteſt.

Poſteaquam uero HOFFMANNVS per triennium fere *Athenis Italicis*, ad amplificanda ſua ſtudia tam feliciter uſus eſt, reuocauit eum Auunculus, ut ipſius, aduerſa ualetudine ſaepius tentati, uicem in aegrotis uiſitandis interdum gereret: cui conſilio ille obtemperauit, eo lubentius, quo firmius animum induxerat, *Inclytae* REIP. NORIMBERGENSI ſua deferre officia. Nec diu poſt reditum, factum ab ipſo medendi initium tantus DIVINI NVMINIS conſecutus eſt fauor, ut abſente D. NOESSLERO, in curatione aegrorum quorundam, munere ſuo functus ſit proſperrimè, ac ſpeciatim officinae pharmaceuticae diſcipulum, ſclopeto per uentrem iuxta umbilicum transfixum, poſt globuli ex lumbis extractionem, feliciter ſeruauerit. Vnde tantum amoris ac ſpei iniectum eſt *Ciuitati Altorfinae*, ut, urgente neceſſitate, ſe contentam fore profiteretur, dummodo HOFFMANNVS vices Auunculi, *Poliatri*, vel aegroti vel abſentis expleuerit. Vnum deerat, *Teſtimonium publicum*, ſiue *gradus*, uti uocant, qui inſtar Patroni Candidatum hunc deduceret in campum, aut quaſi titulus atque index mercem nobiliſſimam commendaret. Qua in parte, ut ſibi non ſolum, ſed aliis quoque, quibus nuda uirtus ac ſcientia propemodum ſuſpectae, ne deeſſet Noſter, honores *Patauii* neglectos, laborumque exantlatorum praemia heic loci apud Medicinae Anteſignanos, ſibi plurimum uenerandos, menſe Octobri A. XLIV. ambiuit, *tentamina* conſueta ſubiit, ac *Diſputationem ſolennem*, *de palpitatione Cordis*, habuit, applaudente Senatu ac Populo Academico; annique ſecuti d. XV. Aprilis, *titulo Doct. Med.* ab ipſo *Decano* et *Brabeuta* NOESSLERO condecoratus eſt, quarto et vigeſimo aetatis anno nondum exacto.

Cum autem eo tempore omnes illi Profeſſores emeriti, et ad Medicinam faciendam imbecilliores fieri inciperent, anno ſaeculi XLV. officium *Poliatri* HOFFMANNVS obtinuit, indeque paſſim adeo per

uiciniam inclaruit, ut ejus opera expeteretur a multis. Quantum uero otii permittebatur domi, illud *ſceletis brutorum* conficiendis, *Collegiis* item *Anatomicis Botanicisque* in uſum ſtudioſae iuuentutis priuatim habendis, conſumpſit. Perſpexerat ſingularem docendi felicitatem rerumque peritiam peritiſſimus ingeniorum aeſtimator, NOESSLERVS, qui quemadmodum Academiae noſtrae decus et ornamenta augere ſemper ſtuduit, ita ſororium hunc ſuum *Patriae Patribus* maiorem in modum commendauit, ſpondens, *futurum illum* (ut habebant ipſius uerba) *in Botanicis alterum Iungermannum, in Anatomicis incomparabili comparabilem.* Qua ſua commendatione haud difficulter effecit, ut in *Panegyri Petro-Paulina* A. XLVIII. ab *Illuſtribus Vniuerſitatis* CVRATORIBVS Noſtro demandaretur *Profeſſio Anatomiae ac Chirurgiae extraordinaria.* Cumque hoc in Theatro egregie perſonam ſuam ille ageret, anno ſequente, poſt. CASP. HOFMANNI diſceſſum, *Profeſſor Med. Ordinarius* deſignatus, et in *Collegium Medic. Nor.* poſtea receptus eſt. Denique et anno LIII. pie demortuo IVNGERMANNO, in *Botanica Profeſſione Hortique Medici Praefectura* ſucceſſit. Quibus officii ſui partibus condecorandis nihil unquam ille prius habuit, nihil antiquius, quam ut ſpei de ſe conceptae ſatisfaceret, ac praecedentium ſuo in ordine Doctorum laudes aemularetur. Fuit autem in docendo perſpicuus, in diſſerendo ſuauis, in diſputando acutus; et obſcura, ſi quae occurrebant, euidenter illuſtrauit, confuſa ac perturbata in ordinem redegit, ſecreta et dubia acri magnoque iudicio ab origine cauſisque primis repetiit, diſcreuit, expendit. Inde factum, ut ex omnibus Orbis elegantioris partibus ἰατρῶν παῖδες ad audiendum eum, uelut oraculum confluxerint, doctiores et meliores ſemper receſſerint, hodieque ad eminentia honorum euecti culmina, tanti Praeceptoris, non ſine ſumma recordentur ueneratione. Alii per literas amicitiam eius prouocare, alii, ut aduenae ac peregrinatores, ſalutando eandem ambire, omnes grauitatem humanitatemque Viri incredibilem ſuſpicere et admirari.

Interea quaecunque ad *Vniuerſitatis* noſtrae amplificationem et gloriam ipſi pertinere uidebantur, ſtudioſe diligenterque curauit. Anno

CIϽIϽCL.

cIↄIↄcL. *Theatrum Anatomicum* (*) ipſo auſpice atque exornatore apertum eſt, quod, uti et *Bibliothecam publicam*, multis ac uariis σκελετοῖς, manuum ſuarum operibus hodieque (**) ſpectatu digniſſimis, impleuit et illuſtrauit. Eſt *Theatrum* iſtud in loco *Collegii Altorfini* maxime idoneo exſtructum, ſpectatorum ſedibus, amphitheatri ueteris aliqua ex parte ſimulacrum referens, in quo Antome tam commode coli et exerceri poteſt, quam olim in *Romano Pacis Templo*, teſte et praecone GALENO. Iſto in proſcenio *Herophilus Noſter* brutorum ſectiones ſaepiſſime inſtituit, ac primum, anno ſaeculi LVI. foetum humanum, mox a partu trucidatum, anno ſequente corpus uirile, ac plura deinceps, tam foeminina quam maſculina cadauera, ſummo indagandi omnia, et declarandi ſtudio, admiranda dexteritate curioſis ſpectantium oculis exhibuit, et ſingulari quadam facundia auditorio, ſaepe

 admo-

(*) Supra illius *Theatri* ianuam, intus, ad ſempiternam memoriam talis inſcriptio legitur:

QVISQVIS ES QVI TE IPSVM NOSSE AMAS
INTVS QVI ET IN CVTE SIS
HVC ADES ET STVDIIS PRÆDITVS FORTIBVS
DISSECTIONES SPECTA HVMANI CORPORIS
SIMVLQVE GRATO ANIMO
INCLITÆ REIP. NORIMB. BENEFICIVM AGNOSCE
NON HIC MOMI FENESTRA
SED PARVVM THEATRVM EST
NOBILISS. ET AMPLISSIMI DNN. SCHOLARCHÆ
GEORGIVS IM HOFF SEPTEMVIR
ALBERTVS POEMER
JODOC. CHRISTOPH. KRESS A KRESSENSTEIN
LEONARDVS GRVNDHERR
SENATORES BENE MERENTISSIMI
MAGNO ACAD. INCREMENTO F. F.
RECTORE MAGNIFICO
WILHELMO LVDWEL JCTO
ANATOMICO
MAVRITIO HOFFMANNO DECANO MEDICO.
A. cIↄ Iↄc L.

(**) O Utinam adhuc hodie! Aſt non pauca omnino iam perierunt, quaedam uero una cum *Tabulis Anatomicis*, *affabre pictis*, male dilaceratis, mea qualicunque cura, paucis abhinc annis quodammodo reparata ſunt. *Damnoſa quid non imminuit dies?* Veruntamen, *nec minor eſt uirtus, quam quaerere parta tueri.*

admodum frequenti omnia interpretatus eſt. Iam uero ex tam uariis corporum uariorum diſſectionibus eam ſibi comparauit ſcientiam, ut non ſolum bene multa reperiret ignota, ſed et iam cognita perſpicere et accurate magis proponere poſſet. Hinc aduerſum uulgares temporum illorum opiniones ſaepenumero diſputationem inſtituit, pernicioſos Practicorum in uenae-ſectionis et purgationis adminiſtratione errores oſtendit; e contrario ſudoriferorum ac uomitoriorum ſalutarem uſum commendauit, Artemque Medicam, e ſanguinis natura, longe certiorem breuioremque tradidit Philiatris: id quod editae ab ipſo *ſynopſis Inſtitutionum Medicarum, e ſanguinis conſideratione reformatarum*, idemque *Prudentia Medica*, in quibus ars longa ſtrictim delineatur, luculentiſſime comprobant.

Neque uero de *Theatro* ſolum, ac ſtudio *Anatomico* praeclare meritus eſt HOFFMANNVS, uerum etiam de *Botanico*, *Hortoque noſtro Medico*. Etenim extincto Sene, meritorum pariter ac annorum numero Venerabili, IVNGERMANNO, curam, ante iam ipſi priuatim demandatam, nunc et publice confirmatam illius horti ſedulo geſſit; cuius utilitatem ac nitorem etſi haud parum procurauerit IVNGERMANNVS; plantis tamen compluribus exoticis deficientem reliquit. Hinc nouus Noſter *Acad. Horti Praefectus*. non ſolum ex *Gallia*, *Italia*, et *Belgio* ſtirpes ac ſemina plantarum noua, propriis ſaepe ſumptibus afferri curauit; ſed etiam, ut calidiori coelo aſſuetae ſtirpes, conſeruarentur, interceſſione ſua impetrauit tandem a *Benigniſſimis* ACAD. CVRATORIBVS, ut *hibernaculum* (*) *ab* Anteceſſore ſuo iam anxie deſideratum, anno ſaeculi LVI. aedificaretur, ipſeque *Hortus*, ſeptennio poſt, auctior tertia ſui parte redderetur. Nec ab illo tempore deſtitit procurare ornamenta et augmenta Florae ſuae, quam ad extremum usque articulum uitae ſuae adeo dilexit, ut aegrotans ſaepe aut uix a morbo liberatus, in conſpectu illius ſolatium quaereret, atque ſpem conualeſcendi poneret. Praeterea totam Oppidi noſtri uiciniam,

quin

(*) Varias *inſcriptiones argutas*, *Hoffmannianae inuentionis*, tam in hibernaculo, quam aliis horti locis legendas, exhibet b. *OMEISII Gloria Acad. Altorf.* tum et *hiſtoria illius Horti*, nuper abs me edita.

quin et ampliorem regionis circuitum adeo diligenter et accurate peragrauit, ut non facile ulla ſpontanearum herbarum ſpecies curioſiſſimos eius oculos effugere potuerit; et ego ualde dubitem, an unquam locupletior alicuius regionis, plantarum facta ſit conſignatio, quam ea eſt Noſtratis, ab HOFFMANNO tradita in *deliciis Florae Sylueſtris.* Singulare iſtius induſtriae ſpecimen praebet uicini *Montis Mauriciani*, ſane curioſa et elegantiſſima *deſcriptio*, aequiparanda haud temere cum iſtis *Baldi montis* a CALCEOLARIO et PONA editis. Coeterum ut ſtudioſa rei Medicae iuuentus apud nos, meliori ordine, cum Anatomicas et Botanicas illas, tum et alias exercitationes diſputando, ſeorſum in Circulo Academico obire poſſet, iam à primordiis ſui muneris Acad. laborauit optimus HOFFMANNVS de *ſocietate Philiatrorum* conciliande, certisque *Legibus* munienda, quarum etiam confirmationem grauiſſimam ab ILLVSTRIBVS ACAD. CVRATORIBVS idem obtinuit A. S. LVII. in hunc usque diem durante inſtituto laudabili, contra ipſam inuidiam, et inſulſe iudicantium friuolas obtrectationes. Vnicum deeſſe uidebatur ſtudioſorum commoditati, *Chimiae* ſcilicet tractatio. Quare HOFFMANNVS ſollicitauit *munificos* ACAD. NVTRITORES, atque exorauit, ut illi decenter exercendae ampliſſimam adornare iuberent *officinam*, *Laboratorium* uulgo dictam, et peculiarem conſtituerent *Chimiae Profeſſorem*, ipſum nempe Filium Noſtri digniſſimum, ſicut in huius Biographia paullo poſt commemorabo prolixius. *Pharmacopolii* uero etiam *Altorfini* (ad iurisdictionem Acad. pertinentis) *redintegrationem* omnibus procurauit uiribus, ipſisque pharmacis et medicaminum formulis certum pretium conſtituit. Praeterea laborioſum ingenium ſuum eruditiſſimis compluribus ſcriptis, infra recenſendis, declarauit.

In uiſitandis autem aegris et factitanda Medicina, tam felix erat quam peritus; tantaque comitas in uultu, dulcedo in uerbis, in familiari conſuetudine urbanitas, et quaedam quaſi Venus habitabat, ut aſpectu prope prius et ſermonibus, quam arte aut remediis depoſitos curaret. Paria propemodum fecit in *prognoſticis* cum HIPPOCRATE, in cauſis cum GALENO, cum SCRIBONIO in remediis; ex his ſimplici-

pliciora ſaepius adhibens, nec pretioſis nimium ac nouis quotidie aegros fatigans. Parum abeſt, quin pulchrum dicam, hoc Medico aegrotaſſe, per quem mortali generi conceſſum, uires maximas Ars et Natura exercerent. Hinc et *ſummi Principes* ÆSCVLAPIO *huic Gallum ac uota nuncuparunt*, et ad Aularum ſuarum decus pertinere arbitrati ſunt, ut HOFFMANNVS ſuos inter *Archiatros* fulgeret, qui fulgore nominis et gloria Orbem literatum impleuiſſet. Etenim quatuor luſtrorum ſpatio, ab aliquot SERENISSIMIS GERMANIAE PRINCIPIBVS, et inter hos ELECTORE BRANDENB. POTENTISSIMO, FRIDERICO WILHELMO, *Sereniſſimis* item MARCHIONIBVS BRANDENB. CVLMBACI et ONOLDI, nec non DVCE et ADMINISTRATORE WVRTEMBERGENSI aliisque, inter *Conſiliarios* et *Archiatros* quam clementiſſime receptus eſt; illuſtri documento, quanti ipſius opera et eruditio à tantis ſaeculi ornamentis haberetur. Eſt hoc quaſi proprium nonnullis, qui inter libros et chartas educati, ad Aulae ſplendorem transferuntur, ut quemadmodum, qui è Vulcani officina fumo et fuligine infecti ueniunt, riſum omnibus, in publico, ac iocum debeant. Multo alia HOFFMANNI Noſtri ac diuerſa fuit ratio; utpote qui *Principibus* horumque *Miniſtris* charus et acceptus, cum auctoritate aulas illorum ac familiam acceſſit; ut quos ante ne conſpexiſſet quidem, ſtatim demereri potuerit. Taceo *Illuſtriſſimos* COMITES, BARONES, NOBILES alios, quibus in malis deſperatis, morbisque grauiſſimis operam noſter locauit exoptatiſſimam.

Hae tamen, in *Perſonis Illuſtribus* curandis frequentes occupationes, illae a *Principibus* collatae dignitates, non poterant HOFFMANNVM auellere penitus ab *Academia*; cui pariter ſuum conſtare decus uoluit, artemque docendo Medicam commoda publica indies augere, et perpetuo eidemque periculoſo Aularum ſtrepitui honeſtum ac literatum otium anteferre. Ordinis uero ſui apud nos *Decanus*, exemplo raro, fuit *ter ac uicies*, plurimisque *Candidatis* coronam Doctoris lauream impoſuit, ipſe querceam promeritus, non unum ob ciuem, ſed innumerabiles mortales ſeruatos. Sententiam in *Academico Senatu* rogatus,

tus, paucis, ſed quibus pondus inerat, rerum momenta expendit probeque cauit, ut neque ſuo, neque alieno affectu ſe pateretur abripi. Ipſi autem *Senatui Ampliſſimo praeſedit*, faſcesque Lycei geſſit *quinquies*, prudentia prope ſingulari. Vtriusque, *Rectoris* ac Decani perſonam cum ageret, dici non poteſt, quam rara et auditu cara pertractauerit *themata oratoria*; ita, ut nemo ſatis mirari potuerit effuſam Diuini Numinis hoc in ornando Viro liberalitatem.

Neque uero tam inſignem doctrinam in *Academiam* huiusque cathedras adduxit ſolam, ſed pulcherrimarum *uirtutum* choro cinctam atque ſtipatam. Nempe enim præcipuum ipſius ſtudium fuit, *caſte ſancteque colere* DEUM, eiusque *Verbum* et omnia *Sacra*, qua decet hominem Chriſtianum, reuerentia obſeruare; dein uero officia cum amicis, bona cum egenis diuidere. Quapropter manibus ipſius bene precatur patria *Fürſtenvvaldium*, cujus templo aliisque piis cauſis, non una uice et ratione, largis donationibus proſpexit: Bene precantur *Noſodochium Altorfinum*, Orphani, aliique pauperes, in quos uel legato, uel opera, uel conſiliis gratuitis, uel donis munificus fuit et liberalis. Vt taceam de eius erga *Superiores* reuerentia, *Collegas* humanitate, *Auditores* comitate, in rebus aduerſis aeque ac ſecundis conſtantia, temperantia, morum grauitate aliisque uirtutibus, quae non paucorum adhuc inter nos memoria et laude celebrantur.

Atque hactenus eorum retuli partem, quae *publice* praeſtitit HOFMANNVS: aequum eſt, ut de *priuatis* eiusdem *moribus* nonnihil commemorem; quo magis ad exemplum intereſſe puto, ut, quà licet, totus cognoſcatur. Ad *ſocietatem* igitur *conjugalem* quod attinet, ut laborum taedia ſubinde ſolaretur, ut paterna quoque laude ac domeſtica felicitate frueretur, ut ante fata ſuae intereſſet poſteritati, *tres*, ordine ſuccedente, *thalami ſocias* ſibi iunxit. Prima fuit lectiſſima Virgo ANNA MARGARETA, IO. SAMBSTAGII dicti SAMPFERI, Viri nobilis et *Illuſtri* REIP. NORIMB. *ab officiis tributariis*, filia

unica, deſponſata ipſi A. XLIX. quae uero A. LXII. foetu octauo grauida, partus doloribus ſuccumbens obiit. E ſeptem matrimonii illius pignoribus ſuperſtites tantum habuit filium IO. MAURICIUM, paternae uirtutis et gloriae feliciſſimum haeredem (de quo proxime ac ſeparatim plura enarrandi locus erit) et filiam ÆMILIAM IUSTINAM, pridem nuptam Viro ſumme uenerando celeberrimoque D. IO. FABRICIO, antehac in *Academia noſtra* per annos pluſculos, deinde apud *Helmeſtadienſes Profeſſore Theologo*, *Primario* nunc et *Honorario*, itemque *Abbati Regio-Lotharienſi*, quae adhuc in uiuis eſt, omni uirtutum genere ornatiſſima Matrona. Primae autem conjugis deſiderium Noſtro leniuit altera, quouis elogio pariter digna Virgo, MARIA MAGDALENA, IO. GERHARDI FRAUENBURGII, inſignis quondam *ICti et Anteceſſoris* apud nos, nec non *Conſiliarii Norici*, unica relicta filia, quae in matrimonium ei data A. LXIV. altero ſtatim anno fatis functa, unicum ex ſe natum reliquit CAROLUM MAURICIUM, *I. V. Doctorem Conſultiſſimum*, etiam nunc uiuentem. Tertia demum HOFFMANNO uxor contigit Virgo, Natalium, formae, ac uirtutum ſplendore condecoratiſſima, MARGARETA, IEREMIAE CAMERARII, *Illuſtriſs.* COMITIS WOLFFSTEINENSIS *Praefecti in Dynaſtia Pyrbaumenſi*, filia, quacum nuptias celebrauit A. LXVII. ex eademque nouem ſuſcepit liberos, pleroſque ſuperſtites, ex quorum ordine, breuitatis cauſa commemoro filios, CHRISTOPH. MAVRICIVM, *Med. Doctorem et Practicum*, *Norimbergae* primum, nunc *apud Coburgenſes* experientiſſimum, et GEORG. IEREMIAM, hodie *ad Diu. Laurentii Norimbergae uenerabilem Antiſtitem.*

De caetero contigit beato Noſtro forma egregia, et cui non minus auctoritatis ineſſet quam gratiae; corpus exacta proceritate bonaque temperie praeditum; frons lata ac ſerena, ſereni animi ianua, oculi uegeti, naſus acutus, et (quem uocant) aquilinus, uox paullo ſubmiſſior, uirilis tamen ac ualentiſſimae ſuauitatis, intuitus fixus, quaſi cogitantis: nec de re ulla facile reſpondebat, niſi prius pauliſper intra

tra

tra ſilentium ſe tenuiſſet; quae cunctatio, non tarditatis aut languoris, ſed ſapientiae ſignum erat, eique plurimum addebat grauitatis. Abſtinentiae ac ſobrietati fuit ſtudioſiſſimus, ſine libra, ſed non ſine modo uiuens. Parce prandebat, primo aut ſecundo parabilis cibi ferculo contentus, ne animo nebulas et corpori prauorum humorum materiam offerret. Vinum, quo plerique ualetudinem laedunt, huius tantum cauſſa admittebat luxum omnem eſt deteſtatus, nec raro ipſe ſibi ieiunium indixit, ad curandam ſanitatem, et excitandam maiorem in obeundis functionibus ſacris alacritatem. Neque ignavus ſed ſolers ac circumſpectus fuit paterfamilias; et ſi quid a laboribus publicis otii datum, ſemper aliquid priuatim moliebatur, quo res ſuas, induſtria bonisque artibus partas, non tueretur modo, ſed augeret. Fuit praeterea aedificator, non ſumptuoſus, ſed elegans, multumque in ſtructuris uel nouis erigendis, uel reparandis iis, quae uetuſtate aut negligentia ruinam minitari uidebantur, occupatus. Non ſolum *Medicum*, ſed et proprium *hortum* impenſe coluit, hos incolere ſeceſsus, atque etiam *ingraueſcentis aetatis nidulos* uocare ſolitus, inque proprio, cumprimis uerno ac aeſtiuo tempore, ſaepius coenabat, dormiebat, noctu loquace ranarum ſtrepitu, mane luſciniarum aliarumque auicularum cantu animum demulcens. Reliquo tempore meditabatur, ſcribebat, legebat, aut officia peragebat uillicationis.

Haec dum laudabiliter publice priuatimque egit, ut nihil in rebus humanis ab omni parte beatum, cum ualetudinis incommodis ſubinde conflictatus eſt. Inprimis, climacterico aetatis anno LVI. graſſante id temporis *diarrhoea epidemica*. Magno autem climacterico (communiter dicto) qui erat annus ſaeculi LXXXIII, inſolitus *ſtupor* manus ac pedis, tandemque totius lateris dextri momentaneus, ſed frequentior, *ſcorbuticus* grauiter eum affecit, qui tamen poſt exactum anni ſpatium depulſus eſt. Contra uero procedente tempore, et ab annis quidem XIV. *dolores arthritici uagi*, plerumque circa ſolſtitia uehementius illum afflixerunt, ſenſimque uires corporis plurimum in-

fregerunt: quas tamen paulatim, DEI uirtute, iterum collegit, adeo, ut A. S. XCVIII. menſe Aprili, Doctorem Medicum, ipſe *Decanus*, et *Brabeuta*, in celebritate extraordinaria creauerit, et XX. eiusdem menſis die plantas herbasque in *Horto Medico* publice demonſtrauerit; hinc altero (qui erat in Chriſtianorum Faſtis, *Viridium*) templum Domini, aduectus eſſedo, frequentare non ceſſauerit. Diei uero ſequentis, quam *Paraſceuen* appellant (tunc XXII. April.) cum iam magnam partem domi lectionibus ſacris, ieiunio, ac piis cum *Seruatore moriente* colloquiis precibusque conſumpſiſſet; ecce circa meridianam ſecundam, lectulo decumbentem, *Apoplexia* celeriter oppreſſit, ac momento, ſermone, intellectu, omniumque ſenſuum uſu priuauit; inde ſub ueſperam placidiſſime, et obdormiſcenti ſimilis emiſit ſpiritum; in hoc perinde, ut multis aliis felix ac beatus, quód eodem die, quo mortuus eſt *uitae Princeps*, obierit, imo de morte nil quicquam guſtauerit. Beatus REINHARDVS, inſignis quondam apud nos Theologus, ex nomine IVNGERMANNI, Doctoris τȣ͂ μακαρίτȣ, elegantiſſimum hoc *Anagramma* confecit:

LVDOVICVS IVNGERMANNVS:
NVNC AD VVLNVS IESV MIGRO.

HOFFMANNVS noſter illo die moriens, quo *militum unus lancea* SERVATORIS *latus aperuit*, illud ipſum uere dicere aut meditari poterat: *nunc ad uulnus IESV migro!* Exequiarum ſolemnia ampliſſime peracta ſunt ipſis *Maii Kalendis*, formoſiſſimo anni tempore, quo iſtius *Florae Amaſii* loculus tumulusque eo commodius ornari poterant. Monumentum deinceps ei ſatis ſplendidum erectum eſt, hac cum *Inſcriptione:*

MAVRITIVS HOFFMANN FVRSTENVVALD. MARCHIC.
MED. DOCTOR ET PROF. PRIM. ALTDORFI
POTENTISS. ELECTOR. AC SEREN. MARCHION. BRANDENB.
DVCVMQVE WVRTEMB. CONSIL. ET ARCHIATER.
ILLVSTR. REIP. NOR. COLLEGII MED. SENIOR.
ARTIS SVAE REFORMATOR ATQVE VINDEX.
RECTOR ACADEM. QVINQVIES,

DECA-

DECANVS BIS ET VIGESIES, HORTI MEDICI PRAEFECTVS AC CONCINNATOR,
THEATRI ANATOMICI AC SOCIETATIS MED. ALTDORFINÆ AVTOR ET AVCTOR.
IXX. LIBERORVM, ET EX HIS IX. SVPERSTITVM PARENS
FILIORVMQVE BINORVM HOMONYMORVM, ALTERIVS IN HAC VNIVERSITATE, NORIBERGÆ ALTERIVS COLLEGA,
VITÆ TANDEM AC HONORVM SATVR,
CHARISS. SVÆ QVONDAM CONIVGI
EX TRIBVS PRIMÆ
ANNÆ MARGAR. SAMBSTAGIÆ SAMPFERIÆ
ÆTERNVM GRAVIDÆ A. C. M.DCLXXII. HAC POSITÆ
APPOSITVS QVIESCIT
GLORIOSAM EXPECTANS RESVRRECTIONEM.
NAT. d. XX. SEPT. A. C. MDCXXI.
OBIIT A. C. MDCXCVIII. D. XX. APRIL.

* * *

SCRIPTA MAVRICII HOFFMANNI EDITA.

1. *Synopſis Inſtitutionum Medicinae*, ex ſanguinis natura uitam longiorem, Artem breuiorem promittens. Altorfi, 1661. item Patauii, 1664. in 8. accedunt *tres methodi de curandis morbis.*
2. *Prudentiae Medicae*, ex ſanguine, pro ſalute mortalium, agendorum rationes exponentis *fundamenta*, A. 1662. 72. et 90. 8uo.
3. *Synopſis Inſtit. Anatomicar.* ex ſanguinis natura partium plerarumque uitam declarans, ordine diſſectionibus commodo, in Vniuerſitate Altorf. Nor. diſputata. Accedit delineatio Anatomes Phyſio-Pathalogico-chirurgicae. A. 1661. et auctior A. 81. in 8.
4. *Sciagraphia morborum contagioſorum*, ex natura ſanguinis praecauendorum et curandorum, per Diſp. XL. exhibita, A. 1666. et 99. in 8. (*)
5. Gründlicher Bericht von denen graſſirenden Peſt-Fiebern. Anno 1680. in 4to.

(*) Singula iſta quatuor opuſcula, ſtylo aphoriſtico eleganter ita ſunt concinnata, vt duae aut plures in ordine theſes vnicam ſaepe periodum, aut abſolutam ſententiam conficiant.

6. *Florae Altorfinae deliciae Syluestres*, ſiue Catalogus plantarum in agro Altorfino locisque uicinis ſponte naſcentium, cum lapidum fungorumque hiſtoria, item *Topographia Altorfina*, *tabula aenea expreſſa*, in uſum excurſionum botanicarum, A. 1662. et 77. auctior, in 4to.
7. *Florae Altorfinae deliciae hortenſes*, ſiue catalogus horti medici, quibus ab A. 1650. auctior factus erat. A. 1662. et 77. in 4to.
8. *Appendix ad Catalogum Plantar. Hortenſ.* A. 1691. in 4to.
9. *Florilegium Altorfinum*, ſiue tabulae, Loca et Menſes exhibentes, quibus Plantae exoticae et indigenae ſub coelo Norico uigere ac florere ſolent. A. 1676. in 4to.
10. *Montis Mauriciani deſcriptio*, ſiue Catalogus Plantarum, quae in illo et uicinis eidem locis occurrunt. A. 1694. in 4to.
11. *Botanotheca Laurembergiana*, hoc eſt Methodus conficiendi *Herbarium uiuum*, ad uſum *Societatis Medicae* in Vniuerſit. Altorf. Nor. accommodata, A. 1662. et 93. in 4to.

Obſeruationes ex Anatome partus cerebro carentis, in *Miſcellan. Acad. Nat. curioſ. Dec.* I. *Ann.* II. De agno monſtroſo, et Vitulo bicipite, *Dec.* II. *Ann.* IX. legi poſſunt.

Diſputationes, ſeparatim a MAVR. HOFFMANNO *habitas tantum has indicat* OMEISIVS.

1. De motu cordis et cerebri, ſanguinisque ac ſpirituum animalium perpetuo, pro uitae continuatione, per corpus commeatu. An. 1653.
2. De Tranſitu ſanguinis per ſeptum cordis impoſſibili, contra GALENUM et RIOLANVM, Anatomicum Pariſ. eius defenſorem. A. 1659.
3. De Tranſitu ſanguinis per medios pulmones facili, contra RIOLANVM, eius oſorem, A. 1659.
4. De ſanguine, eiusque miſſi obſeruatione. A. 1660.
5. De ſanguinis miſſionis, ſeu Venaeſectionis neceſſitate. contra ERASISTRATVM et HELMONTIVM, eius oſores. A. 1661.

Praeter

Praeter eas autem, in mea ſupellectili Libraria ſequentes reperio, Autore, aut ſaltem Praeſide MAVRICIO HOFFMANO editas.

6. De Tumoribus p. n. Reſp. *Iac. Pancr. Bruno.* 1649.
7. De Purgationis modo, Reſp. eodem, 1652.
8. De Mammarum nat. et praeternaturali conſtitutione, Reſp. *Barthol. Zornn*, Berolinenſis, 1662.
9. De Lacrymis, Reſp. *Gregor. Bernhardi*, Croſnenſis, 1662.
10. De Alimentorum coctione prima, ſeu Chyloſi, ſalua et laeſa, Reſp. *Io. Dau. Vlſtaett.* 1662.
11. De Pica, Reſp. *Io. Fr. Hubrigk*, 1662.
12. De Meliceria, ſiue Articulorum læſorum inundatione aut diluuio, Reſp. *Io. Georg. Cariſius*, Sileſius. 1670.
13. De Lactis et Chyli ſtatu naturali et praeternaturali, Reſp. *Georg. Chriſtoph. Goeller*, Ratiſp. 1673.
14. De Rebus Non-naturalibus, ſanguinem mutantibus, Diſputatio prima, de Aere, Reſp. M. *Ludov. Miller*, Auguſt. 1679.
15. De Procidentia uteri, Reſp. Ern. Henr. Wedelius, Gothanus, 1694.

* *

Scripta nondum edita, confecta tamen, perhibente laudato OMEISIO.

Commentarius in HIPPOCRATIS Aphoriſmos, ex natura et circulatione ſanguinis.

Praelectionum Anatomicarum ſectiones XXIV.

- - - - - Chirurgicarum tractatus V.

Obſeruationes CC. Chirurgicae et Anatomicae rariores.

Obſeruationes Botanicae, de iuuentute plantarum, ex ſeminibus recens pronatarum (*).

Praeterea in meis ſcriniis aſſeruantur

Expoſitio morborum corporis humani, ſecundum ordinem Anatom: ſupra indicatum. *Sed paſſim deficit hoc MStum exemplar.*

Aphoriſmi de particularibus hum. corp. affectibus p. n. cum ſingulorum expoſitione.

Compendium de ratione conſultandi.

Annotata in FRANC. DE LE BOE SYLVII Praxin Medicam.

(*) Eiusdem plane argumenti tractatum ſuſcepiſſe IVNGERMANNVM, commemorat PAVL. FREHERVS, in ſuo Vir. clar. theatro.

CHRISTOPHORVS NICOLAI.

DE hoc Viro, quem nunc ex Anteceſſorum meorum ordine ſiſto, uix quicquam ſuccurrit, quod referam, praeter ea, quae in *Programmate funebri* commemorantur, adeo quidem curto et conciſo, ut nec aetatem illius indicet, niſi quod immaturam mortem obierit. E *Matricula* tamen noſtra compertum habeo, natum eſſe d. XXI. Ianuar. A. cIↃIↃCXVIII. *Norimbergae.* Pater ipſius fuit MICHAEL NICOLAI, *ad aedem B. Virginis ibidem aedituus,* Mater FELICITAS FRANCKIA. Suſceptorem e S. Baptiſmate nactus eſt *Illuſtrem Virum*, DN. CHRISTOPH. FVRERVM *ab Haymendorff in Wolkersdorff*, *Reip. Patriae* t. t. *Ephorum Eccleſ. Scholarcham*, *et Acad. Altorf. Curatorem Primarium*, qui per omnem deinde uitam patrocinio ſuo ſubleuauit clientem iſtum ſuum. Hic autem ab ineunte aetate à parentibus ad pietatis et bonarum literarum cultum magna cum cura applicatus, feliciter profecit, cum aliorum Praeceptorum, tum ſeorſim IO. LEON. FRISCHII, poſtea *Antiſtitis Norimb.* priuata diſciplina. Cum interim, bona fortuna, inſtauraretur *Gymnaſium Ægidianum*, huic opportune addictus, mox promeruit, ut ſecundae, ac paulo poſt primae Claſſis diſcipulis annumeraretur, utiliſſimam ſibi expertus doctrinam Clariſſimorum Virorum, qui tunc eas claſſes moderabantur, MICH. MANNERI, et IO. GRAVII. Anno aetatis ſuae XIX. ſuppetias ferente Auunculo, WOLFG. FRANCKIO, Illuſtri DNN. Scholarch. Collegio a Secretis literis, qui illius commodis maximopere fauebat, *Altorfium* ſe recepit, et *duodecim Alumnorum Nor. contubernio* inſertus (ex quo nunquam non egregie docti et utiles Reip. Viri prodierunt) Inſpectore Viro clariſſimo IO. PAVLO FELWINGERO, deinceps Philoſophiae celeberrimo Profeſſore, optimos in ſtudiis ſuis habuit progreſſus. Cum uero Medicam Artem addiſcere et aliquando exercere decreuiſſet, magno emolumento ſuo frequentauit ſcholas maximorum Virorum, CASP. HOFFMANNI, NOESLERI et IVNGERMANNI, ultra triennium. Hinc *Italiam* cogitauit,



CHRISTOPHORUS NICOLAI,
Norimbergenſis.
Medicinæ D. et P.P. in Academia Altdorſina
ab A°. 1653.
Natus A°. 1618. Denat. A°. 1662. d. 21. Febr.

Wolffg. Philipp Kilian ſculpſit

uit, habita prius, *de methodo docendi ac diſcendi Medicinam*, diſputatione, ſub praeſidio laudatiſſimi HOFMANNI. Menſe autem Septemb. A. S. XLI. in *Patauinum Lyceum* peruenit, docentesque audiuit BENED. SYLVATICVM, IO. DOMINICVM SALAM, IO. VESLINGIVM, PETRVM DE MARCHETTIS, IO. GEORG. VIRSVNGVM, et FRANC. BONARDVM.

Tertio abhinc anno reuerſus in patriam, ſuadentibus Patronis et Amicis, denuo *Palaeocomen* noſtram adiit, petiturus nempe ſtudiorum Academicorum, rite confectorum, teſtimonia et praemia, quæ etiam d. XIV. Aprilis A. S. XLV. a *Decano* NOESSLERO ſolenniter impetrauit, competitoribus eorundem honorum MAVRICIO HOFFMANNO noſtro, et IO. ROEDERO, cum quo deinde adſcriptus eſt *Ampliſſimo Collegio Medico Nor.* Cum autem Noſtro ſimul demandata eſſet cura publici *Noſocomii*, facile poteſt intelligi, quantam moleſtiam ipſi attulerint tot aegrotantium, peſſimisque morbis laborantium, ſaepe etiam furioſorum, quotidianae uiſitationes, praeter alias frequentes in Medicina facienda occupationes.

Pertulit tamen eas non minus conſtanter quam feliciter, donec A. CIↃIↃCLIV. in locum b. IVNGERMANNI *Altorffium* euocaretur. Hanc nouam et honorificam prouinciam, quemadmodum alacriter ſuſcepit, ita pro uirili parte ſua ſtudioſe obſeruauit, ac *Philiatris* docendo fideliter operam ſuam commodauit.

Plura fortaſſis et praeclariora molientem, aduerſa ſubinde ualetudo impediuit; quandoquidem *arthritide* laborans ſaepe decubuit. Nec tamen defuere ipſi uires obeundi munera, quae inter Academicos Profeſſores ordine quodam annuatim diſtribui ſolent; quandoquidem *Rectoris* officium ſemel, *Decani* in ſua Facultate quater functus eſt, ubique probitatis laudem promeritus.

Paterfamilias Norimbergae iam fieri inſtituit, ducta in matrimonium integerrima Virgine, MAGDALENA, GEORGII BEZOLDI,

ciuis ibidem (qui artificium nobiliora metalla ſeparandi laudabiliter exercebat), filia, quae ſeptem ipſi liberos utriusque ſexus peperit, pleros-que patri ſuperſtites, perhibente citato *Programmate*; quamuis de una ſaltem ex filiabus mihi conſtet, eam nupſiſſe D. GEORG. REICHARDO HAMMERO, *IurisConſulto*, *et Anteceſſori* quondam apud nos celebratiſſimo.

Caeterum non tantum boni Profeſſoris, et Medici, et Patrisfamilias, ſed et pii religioſique Viri exiſtimationem Noſter obtinuit. Parentem ſuum, ualde ſenem, (obiit enim LXXIX. aetatis anno) infirmitatis cauſa rude donatum, in ſuas aedes recepit, et omni, qua decet filium, pietate ſuſtentauit, usque ad finem uitae, ac tandem honeſtiſſime ſepeliri curauit.

Verum enim uero ſecutus ipſum eſt Noſter biennio hinc nondum elapſo. Mortis occaſionem ſuppeditabat idem ille, cum quo toties conflictabatur, affectus, *podagra* ſcilicet; cuius materia (neſcio quo errore, an uirium defectu) retro cedens ab articulis in corpus, tantam uniuerſo, ac ſpeciatim uentriculo, intulit imbecillitatem, ut uix quicquam medicamenti, nedum alimenti retineret, ipſe uero patiens haud obſcure praeſentiret, inſtare ſibi diem ſupremum. Ad hunc optime praeparauit ſe illis quidem auxiliis, quae ad animae ſalutem praeſcripta ſunt diuinitus. Poſteaquam igitur et Coniugi et liberis, paterno affectu, ualedixiſſet, eosdemque Collegis ſibi amiciſſimis omni, quo potuit, ſtudio commendaſſet, inter pias preces animam efflauit d. XXI. Febr. An. CIↃ IↃ CLXII. *Vir innocentiſſimus uita*, *ingenio florentiſſimus*, *propoſito ſanctiſſimus*; quo ipſum elogio decorauit (*) OMEISIVS. Florentiſſima uero *Societas Philiatrorum*, honorifico admodum epicedio, ſingulari nouoque tunc artificio, typis candidis chartae atratae impreſſis, pietatem ſuam, erga deſideratiſſimum Doctorem ſuum, publico in luctu ſignificauit.

Caeterum

(*) in *Gloria Academ. Altorf.* p. 85.

Caeterum perpauca inuenio, a beato NICOLAI noſtro in lucem edita ſcripta; quin omnino nulla, ſi *Diſſertationes* excipiantur ſequentes:

1. Methodus docendae et diſcendae Medicinae, Praeſide CASP. HOFMANNO, 1641.
2. Περὶ τῆς μεταπτώσεος καὶ ἐπιγενέσεως, Praeſide GEORG. NOESSLERO, 1644.
3. De Paralyſi, *Diſſertatio inauguralis*, 1645.
4. De pernicioſo Paracelſiſtarum *Hoplochriſmate*, Reſpond. *Iacobus Bürlein*, Nor. 1661.

IACOBVS PANCRATIVS BRVNO.

Hic primus eſt eorum, quos commemorandos inſtitui, quem de facie nouiſſe mihi contigit, uirtutis, eruditionis et meritorum amplitudine uix ulli ſecundum; cuius etiam iucunda conſuetudine in ſextum usque annum gauiſus, haud parum inde inſtructum me eſſe puto ad ediſſerendum aliquid de uita eius, quam ipſe Vir optimus frequenti admodum occaſione, bonam partem, familiaribus in colloquiis mihi enarrauit. Sed enim uero nihil opus eſſe uideo hac mea opera, poſteaquam in *Programmate funebri*, (longe, quam olim circa eiusmodi deſignationes fieri ſolebat, accuratius elaborato) ſi non omnia, certe pleraque ſunt expoſita, ut ſatis eſſe ducam, ſi eadem ipſius uerbis, uix quicquam addendo aut omittendo, huc transferrem.

Naſcendi auſpicia habuit ille Vir in hoc oppido, A. S. R. cIɔ Iɔ CXXIX. d. x. Calend. Februarias. *Pater* ei fuit IACOBVS BRVNO, *Megapolitanus*, *Philoſ. Moral. Graecaeque Linguae Profeſſor P. Ordinis ſui Senior, et Alumnorum Noric. Ephorus*, qui iam anno eiusd. Saeculi LIV. uiuere deſiit; Vir alioquin et doctrina, et uita, et omnibus muneris partibus de hac Academia optime meritus. *Matrem* coluit, feminam recti exempli, magnaeque religionis, BARBARAM, *ciuem Norimbergenſem* honeſtiſſimam, quae *a Knorriis* originem generis duxit. His Parentibus genitus auſpicatiſſimum uiuendi omen accepit, cum altero die poſt myſteriis Chriſtianorum rite initiatus, uiam pietatis ſanctitatisque rectiſſime iniit. Tenellus adhuc M. IO. FIGVLI, Praeceptoris perquam induſtrii, inſtitutioni traditus eſt, ubi iam multa et euidentia excitatae indolis, magnaeque ad uirtutem et bonas artes propenſionis ſigna dedit. Ea uero ſingularis felicitas Noſtro obtigit, ut in conſpectu potiſſimum, diſciplinaque optimorum Parentum, adoleſceret, adeoque eosdem et uiuendi et bene uiuendi auctores haberet. Ipſe enim Pater laudatiſſimus, non exemplo tantum et conſilio, ſed opera etiam, tum PANCRATIVM Noſtrum, cum etiam CORNELIVM, (qui poſtea Sacerdotis partes *Eibachii*, prope *Norimbergam*, obiit) ad

optima-



Wolffg. Philipp Kilian Fecit.

optimarum rerum cultum formauit, nihilque unquam in cura ſua deſiderari paſſus eſt, iucundiſſimum laboris ſui fructum percipiens, quod filii ultro ſequerentur, et praeclaram de ſe ſpem, omnibus excitarent.

Cum uero in Noſtro cumprimis maturrime bonae mentis igniculi ſeſe exererent, isque omnia, quae tradebantur, celerrime arriperet: hinc decimo iam aetatis anno ille dignus idoneusque habitus eſt, ut Viris eruditione et multo ſtudio in hac Academia quondam celebribus operam daret, adeoque et *Logicas ſcholas* IO. KOBII, *et Oratorias, Poëticasque* IAC. TYDAEI, et ſui Parentis *morales atque Graecas* frequentaret. Qua re adeo profecit, ut iam tum ſpem expectationemque omnium implere uideretur. Neque uero hic conſtitit, ſed laudabili ardore incitatus, in eo curriculo proceſſit, atque, cum paulum roboris acceſſit aetati, applicuit ſe ad CHRISTOPH. ADAM. RVPERTVM, et ABDIAM TREVIVM, Viros meritorum dignitate memorandos; atque, hoc quidem duce, in ſpatio *Philoſophiae naturalis* ſe exercuit, et omnes fere *Matheſeos* partes pertractauit; illo autem monente, exempla ex omni memoria repetiit, et cauſas initiaque rerum in orbe geſtarum didicit, moresque gentium accuratius cognouit. Cum itaque nullos unquam defugeret labores, ſed, ingenii curſu aetatem ſuperante, praeclara quaeque ſectaretur; publicis etiam ſpeciminibus editis induſtriam periclitatus eſt, quibus opinionem laudis creſcentis magis magisque adauxit. Moderante enim RVPERTO, *Orationem de auro ex Ophir* habuit; et TREVIO cauſſae arbitro, potiores *in Aſtrologia controuerſias* disquiſitioni expoſuit, et Patrum iuxta ac Commilitonum applauſus et congratulationes promeritus eſt.

His inſignibus doctrinae ſubſidiis praemunitus, abiit in inclytam Academiam, quae *Ienae* propter *Salam* floret, ubi in coepto laudis curſu gnauiter perrexit. Domo enim paterna egreſſus, legem uiuendi a Patre praeſcriptam diligentiſſime, abſens etiam ſeruauit, et ex ore ac doctrina pependit eruditiſſimorum Virorum, quos ea tunc Academia habuit maxime claros. Simul uero ibi Arti ſalutari ſeſe initiandum tradidit, et celeberrimos Medicinae Doctores, ROLFINCIVM, MOEBIVM, et SCHEL-

optimarum rerum cultum formauit, nihilque unquam in cura ſua deſiderari paſſus eſt, iucundiſſimum laboris ſui fructum percipiens, quod filii ultro ſequerentur, et praeclaram de ſe ſpem, omnibus excitarent.

Cum uero in Noſtro cumprimis maturrime bonae mentis igniculi ſeſe exererent, isque omnia, quae tradebantur, celerrime arriperet: hinc decimo iam aetatis anno ille dignus idoneusque habitus eſt, ut Viris eruditione et multo ſtudio in hac Academia quondam celebribus operam daret, adeoque et *Logicas ſcholas* IO. KOBII, *et Oratorias, Poëticasque* IAC. TYDAEI, et ſui Parentis *morales atque Graecas* frequentaret. Qua re adeo profecit, ut iam tum ſpem expectationemque omnium implere uideretur. Neque uero hic conſtitit, ſed laudabili ardore incitatus, in eo curriculo proceſſit, atque, cum paulum roboris acceſſit aetati, applicuit ſe ad CHRISTOPH. ADAM. RVPERTVM, et ABDIAM TREVIVM, Viros meritorum dignitate memorandos: atque, hoc quidem duce, in ſpatio *Philoſophiae naturalis* ſe exercuit, et omnes fere *Matheſeos* partes pertractauit; illo autem monente, exempla ex omni memoria repetiit, et cauſas initiaque rerum in orbe geſtarum didicit, moresque gentium accuratius cognouit. Cum itaque nullos unquam defugeret labores, ſed, ingenii curſu aetatem ſuperante, praeclara quaeque ſectaretur; publicis etiam ſpeciminibus editis induſtriam periclitatus eſt, quibus opinionem laudis creſcentis magis magisque adauxit. Moderante enim RVPERTO, *Orationem de auro ex Ophir* habuit; et TREVIO cauſſae arbitro, potiores *in Aſtrologia controuerſias* disquiſitioni expoſuit, et Patrum iuxta ac Commilitonum applauſus et congratulationes promeritus eſt.

His inſignibus doctrinae ſubſidiis praemunitus, abiit in inclytam Academiam, quae *Ienae* propter *Salam* floret, ubi in coepto laudis curſu gnauiter perrexit. Domo enim paterna egreſſus, legem uiuendi a Patre praeſcriptam diligentiſſime, abſens etiam ſeruauit, et ex ore ac doctrina pependit eruditiſſimorum Virorum, quos ea tunc Academia habuit maxime claros. Simul uero ibi Arti ſalutari ſeſe initiandum tradidit, et celeberrimos Medicinae Doctores, ROLFINCIVM, MOEBIVM,

P 3 et SCHEL-

et SCHELHAMMERVM, incredibili audiit ſtudio, ſummaque pietate et fide obſeruauit. Et quoniam eo ipſo tempore accidebat, ut corporis humani fabrica in cadauere quodam publice demonſtraretur, tanto maiori attentione, diſſolutis artubus, excuſſisque meatibus, uenis, partibusque reliquis, naturam humanam pernoſcere ſtuduit, quanto maiorem utilitatem inde ad ſe redundare poſſe didicerat.

Tam praeclaris igitur uariae ſcientiae acceſſionibus auctus rediit in patriam, et Medicis, qui illo tempore Academiam hanc fama pariter et opera illuſtrarunt, GEORGIO nempe NOESSLERO, LVDOVICO IVNGERMANNO, ac MAVRICIO HOFFMANNO, accuratus diligensque auditor affuit, ſuamque iis induſtriam mirifice approbauit. Horum inſtitutione magis confirmatus eſt, ut, Praeſide celeberrimo HOFFMANNO, de duobus in Medica Arte utiliſſimis argumentis publice, non ſine magna laude, diſputaret. Quo uero Medicinae effectorem, DEVM, luculentius cognoſceret, eundemque reuerenter ſemper haberet, neque diuinioris ſapientiae ſtudium neglexit, ſed *Profeſſores Theologiae Perreuerendos*, IO. VVEINMANNVM, et IO. FABRICIVM, de rebus ſacris publice priuatimque commentantes, magno cum fructu amplexus eſt. Poſtquam igitur egregios in bonarum Artium ſcientia profectus facile aliis demonſtraſſet, A. cIↄ Iↄ C L. d. III. Calend. Quinctil. auctore inprimis FELVVINGERO, Viro, cum apud nos doceret, clariſſimo, *ſummum Philoſophici ſtudii praemium* adeptus eſt, et inter ſeptem Candidatos primum tunc locum obtinuit.

Quo diligentiae ornamento excitatus, in propoſito utili permanſit, et exteras quoque regiones adire cupiuit. Contulit uero ſe inprimis in *Academiam Patauinam*, fama omnique ſtudiorum genere ſemper florentiſſimam. Docebant tunc ibi Viri ſummis ingeniis exquiſitiſſimaque doctrina praeſtantiſſimi, BENED. SYLVATICVS, IO. FRISIMELICA, FORTVNIVS LICETVS, PETRVS DE MARCHETTIS, ANTON. MOLINETVS, IO. BONARDVS, quorum eruditio incomparabilis illuſtrisque fama in uniuerſo orbe literario eluxerat. In his igitur audiendis colendisque omnem Noſter induſtriam, omneque tempus conſumebat,

bat, ut ad illorum diſciplinam proxime accederet, quos in tam ſplendido eruditionis famaeque faſtigio collocatos intuebatur. Cumque ad animum reuocaret, ibi non contemplationi duntaxat locum eſſe, ſed ipſam quoque operam flagitari; illos ipſos Viros, quaqua conſectatus, et diſſecandis motuorum cadaueribus interfuit, et uaria morborum genera ſuis ipſe oculis ſubiecit, ut uim eorum accuratius perſpiceret, et certioribus eos remediis deinceps aggrederetur; ſapientiſſimi PLATONIS conſilium in hac re ſecutus, eos demum optimos euaſuros eſſe Medicos praedicantis, qui ab ineunte aetate, diſcendae Artis cauſſa, inter plurimos corpore male affectos uerſarentur.

A. S. LIII. redux in patriam, ingenti cum ſuorum laetitia exceptus, pauloque poſt nouo experimento doctrinae edito, *ſummos in Arte Medica honores conſecutus eſt*, dilargiente MAVRICIO HOFFMANNO, cuius laudes meritaque nunquam obliterabuntur. Altero anno poſt Nobiliſſ. Medicorum Norimb. Collegio adſcriptus eſt. Quin et eodem tempore d. VII. Id. Sextil. Virgini florentiſſimae, SVSANNAE CATHARINAE, filiae SEBALDI SCHVLZII, mercatoris et ciuis apud Norimbergenſes, ex *Nominatorum* ordine ſpectatiſſimi, fidem connubii dedit. Anno autem ſaeculi LV. *Curiam Variſcorum* euocatus eſt, ut ibi *Poliatri* nomine Medicinam faceret, et ſimul in Gymnaſio illius loci literas Graecas primaque Phyſices elementa doceret. Quanquam autem increbeſcente indies Viri fama, tunc *Tubingenſes* pariter ac *Salueldenſes* eum ſibi quaererent, optarentque; grauioribus tamen cauſis adductus, prouinciam iam ſuſceptam illico deſerere ſibi fere religioni duxit. Quam cum Dei benignitate, et optato feliciqué Artis euentu, auſpicatus eſſet, innumerorum ſibi hominum fauorem parauit, ita, ut non plebeii ſolum, ſed honorati etiam luculentique homines, nominatim *Illuſtriſſimi* COMITES E REVSSIORVM *gente oriundi*, operam eius, perfectamque medendi facultatem certatim ſibi expeterent. Cum uero ibi A. LVI. menſe Quinctili, ſuauiſſimam Coniugem ſuam, in puerperio enitentem, una cum foetu, amiſiſſet, A. LVIII. pridie Idus Ian. ad ſecunda uota deſcendit, et Virginem eximiam, ANNAM ROSINAM,

ABRAH.

ABRAH. MICHAELIS, *Med. Doct. et apud Curienſes* per XXXIII. annos *Phyſici* experientiſſimi, filiam natu minimam, domum duxit.

Septem fere annos apud *Curienſes* conſederat, ſuamque iis fidem et inſignem rerum peritiam maiorem in modum approbauerat; cum accidit, ut Affini ſuo, MICHAELI, Doctoris medici honores *Altorfii* petituro, comes itineris adiunctus patriam dulciſſimam reuiſeret. Humanis tunc rebus exceſſerat CHRISTOPH. NICOLAI, *Med. Doctor et Profeſſor Publicus.* Quoniam igitur *Generoſiſſimis Benigniſſimisque* huius Academiae CVRATORIBVS uiſum fuerat, ex Academiae dignitate fore, ſi in illius Viri locum ſurrogarent BRVNONEM noſtrum; uacuam *Praxeos Inſtitutionumque Medicarum profeſſionem* continuo ei decreuerunt: quam et ille, eodem anno, Menſe Octobri adulto, feliciter auſpicatoque ingreſſus eſt. Quod munus quanta fide, quanta uigilantia, integritate, quoque rerum uſu ab illo tempore ornauerit, longum foret enumerare. Teſtes ſunt locupletes, non pauci ex Collegis, hodie ſuperſtites. Nec minus idem teſtabuntur tot egregia eruditionis et induſtriae monimenta, quae *Brunonianum nomen* ſerae poſteritati commendabunt. Ille enim non antiquiſſimorum modo Medicorum ſcripta recte intelligebat; ſed recentiorum etiam inuenta et ſententias ad examen reuocabat, et quae, pro iudicii copia probauerat, auditoribus ſuis fideliſſime dexterrimeque proponebat. Vnde perquam multos *Medicorum filios* ex ludo eius prodiiſſe ſcimus, qui eius conſilio doctrinaque inſtructi, utilem laborantibus operam praeſtiterunt, et adhuc de genere humano bene merentur.

Quemadmodum uero ille omnes uires, ad augenda iuuentutis commoda, et prouehendam publicam utilitatem, contulit; ita Academiae ſuique Ordinis negotia honorifice ſemper ſuſtinuit, magnaque ſolicitudine tractauit, et, omnibus bonis approbantibus, confecit. *Summum Academiae Magiſtratum quinquies bene prudenterque geſſit: Medicorum autem Ordini uigeſies praeſedit*, ac primarium in eodem locum, poſt MAVR. HOFFMANNI obitum, obtinuit, itemque *Poliatri* munus in ſe ſuſcepit; in quo recte colendo, ſicut antea ſemper, magnam

poſuit

poſuit induſtriam, ſingulari etiam felicitate comitatam: Vnde factum eſt, ut non ſolum in hoc oppido, ſed et finitimis locis terrisque, nominatim per *ſuperiorem Bauariae Palatinatum*, eius auxilium ab omnis generis hominibus certatim expeteretur; quin et *Principes* atque *Proceres* paſſim conſiliis eiusdem uterentur. Seorſum *Ciuitas Neagorenſis*, annuo etiam ſalario decreto, utiliſſima Viri officia deuincire ſibi ſtuduit. Partes enim boni felicisque Medici omnibus numeris expleuit. Neminem neglexit, & ad eos ſaepe, qui egeſtate premebantur, ſponte gratisque acceſſit: Solicitus aſſedit, cauſas morborum diligenter inueſtigauit; nullus labor oneri illi, nullus faſtidio fuit.

Nec minus uero *ſcriptis* etiam *editis*, praeclaram eruditionem ſuam, non quidem oſtentare, ſed utilem reddere compluribus, et patere uoluit, iis praeſertim, qui diſſerentem audire coram non poterant. Sunt autem iſta ſane omnia hoc modo elaborata, ut ubique manifeſto eluceat *ἑρμηνευτικὴ δύναμις*, et *ordo uere Logicus*; qualem hodie, proh dolor! pauci ſcribentium ac docentium inter Medicos obſeruant, multi prorſus negligunt, libertatem (neſcio quam) in proponendo ſectantes, ſummaque imis permiſcentes: Qua quidem ratione hoc efficitur, ut auditores aut lectores optimas quantumvis res, confuſe traditas, male apprehendant, aut utcunque demum perceptas, inter ſe connexas tenere neſciant, multo minus aliis ordinatim reddere queant. Secus omnino comparatum eſt cum beati BRVNONIS *Dogmatibus* (quae ſic appellauit) *generalibus Medicinae*, et horum perpolita epitome, cui titulum ille fecit *Propylei Medici.* Auſim ego affirmare, quod, ſi quis doctrinam et methodum utriusque operis laudatiſſimi bene perſpexerit, ultro confeſſurus ſit, uix quicquam proſtare accuratius in hoc genere ſcriptum; adeo recte et ordinate diſpoſita ſunt omnia, et limites diſciplinae conſtituti; ut, quod olim CASP. HOFMANNVS, circa *Inſtitutionum Medicinalium* correctionem, acriter inchoauerat, perfeciſſe PANCRATIVS noſter uideatur. Nec deſtituit fortuna laborem tam laudabilem. Cum enim *Dogmata* illa dedicata, et demiſiſſima animi ſubjectione oblata eſſent AVGVSTISSIMO IMP. CAES. DIVO LEOPOLDO, is ea-

dem non ſolum clementiſſime accepit, ſed et inſigni gratiae Caeſareae monumento remunerauit. Taceo *Lexicon Medicum*, opus profecto incomparabile, ſiue doctrina, ſiue utilitas ſpectetur. Sunt et *reliqua ſcripta*, deinceps recenſenda, non minori ſtudio et judicio elucubrata, et ad uſum *Philiatrorum* ſingularem accommodata.

Inter aſſiduos autem labores curasque, quibus publici boni cauſſa diſtringebatur Vir optimus, non parum leuamenti in ROSINAE ſuae, Coniugis ſuauiſſimae, amore inuenit. Quo tamen ſolatio ipſi iterum carendum fuit, cum et haec praeſtantiſſima foemina A. S. LXXX. difficillimo aegerrimoque partui ſuccumberet. Ex quo caſu grauem omnino acerbumque dolorem Noſter cepit. Itaque ad ſarciendam rei familiaris iacturam de *tertia Coniuge* ducenda cogitauit, et altero anno vitae ſociam ſibi adiunxit foeminam, multis laudibus condecoratam, SOPHIAM MARGARETHAM, NICOLAI KRAVSSII, *Sereniſſimo* PRINCIPI OETTINGENSI *a Camerae ſecretis*, relictam uiduam; quae ſingulari prudentia et frugalitate familiam eius ornauit: Cui uero et ipſi, in hoc uno infelix Maritus, A. S. XCVI. iuſta perſoluit. Cum ſingulis autem his Vxoribus praecipua quadam & rara repetiti coniugii felicitate, tam ſuauiter ſemper concorditerque uixit, ut quam reliquis, mutui amoris fideique laude anteferret, ipſe ignorarit; cum eadem, et illa quidem huius ſexus maxima uirtutum ornamenta in omnibus extarent, ac ſingularum in pium Maritum merita prorſus paria haberentur. Prima quidem, bis grauida, ſpem augendae familiae fecerat, ſed primum, improuiſo incendio perterrita, temporibus nondum exactis foetum profudit; deinde laborioſo conflictata nixu una cum prole obiit. Altera tulit liberos XVI. partim *Curiae Variſcorum*, partim *Altorfii* editos, iterumque extinctos, plerosque infantes aut pueros, nonniſi duobus Parenti ſuperſtitibus, *filio* nempe *Nobiliſſ. Experientiſſimoque Viro*, D. FRID. IACOBO, uti reconditae doctrinae laudibus, ita integritate Artisque Medicae ſcientia apud Norimbergenſes dudum clariſſimo; et *Filia*, dignitate ſexus uirtuteque egregia, BARBARA IOHANNA, *Viro Ampliſſimo*, IOBO LAZARO KOENIGIO, Notario ſpectatiſſimo, et

mo, et

mo, et huic Academiae a commentariis Actorum, nuptui collocata. Vidit autem nepotes neptesque XI, partim ex filio natu maximo, MAVRICIO ABRAHAMO, partim ex filia laudata, ſibi inprimis chara.

Caeterum ille, uti publice priuatimque bene meruit, ita luculentiſſimum uerae priſcaeque uirtutis exemplum expreſſit. In omni ſermone omnibusque actionibus ſingularem candorem, integritatem atque prouidentiam exhibuit. Et cum alieniſſimus eſſet ab officiis illis ſimulatis et blandimentis, in aliorum exitium compoſitis; nunquam aliud in pectore clauſum, aliud in lingua promtum habuit, nec improborum tamen fraudes calumniasque unquam veritus eſt. Sorte ſua contentus, et nullis ambitionis peruerſae ſtimulis exagitatus, moderate ſemper frugaliterque uixit. Senectutis mala, tot acerbiſſimas Coniugum liberorumque mortes, et alias rerum aſperitates, aequo et nihil fracto animo pertulit, quod intelligeret, ſecunda aeque ac aduerſa, DEO auctore, nobis euenire. Atque hunc ſupremum rerum moderatorem, in cuius bonitate omnem ſpem atque fiduciam poſuerat, ſumma ſemper animi pietate coluit, nulla religionis parte neglecta. Neque enim quicquam ipſi iucundius fuit, quam *diuiniores literas et Theologorum ſcripta* identidem euoluere. Nec priuatim ſolum ſupplicationibus rerumque coeleſtium contemplationi uacabat, ſed publicis etiam ſacris diligentiſſime intererat, ita, ut ne in extrema quidem ſenectute domi ſe continere poſſet, quin templa frequentaret, et pii chriſtianique hominis officio publice etiam perfungeretur. Haud ſecus in aliis etiam negotiis expediendis incredibilis ſemper maximique laboris fuit: et, cum aetati eius ingraueſcenti, iure quaſi ſuo, immunitas tribuenda fuiſſet, in ſtudio tamen et labore conſtantiſſime perſeuerauit, ita, ut vel paucis ante obitum hebdomadis, ex publica Cathedra, integro prorſus illibatoque iudicio diſputauerit.

Tot laboribus uero curisque ὁ μακαρίτης, corpus ſuum, tam egregii animi domicilium, confirmare magis, quam conſumere uidebatur. Per omnem enim antehac uitam, ad graue usque ſenium, tam proſpera conſtantique uſus eſt ualetudine, ut ne quidem umquam de *odontal-*

gia, *arthritide*, ſimilibusque aerumnis, humano alias generi infenſis atque familiaribus, fuerit conqueſtus ; ſi unicum excipiam *nephritidis* et *calculi* malum, infelici ſcalarum lapſu, in dorſum et lumbos praecipue, aliquando contractum, quod ultimis praeſertim uitae annis non ſemel atroces peperit dolores. Ex congenito autem ac haereditario corporis habitu *ſcorbuticae*, quam appellant, *cacochymiae* fuit obnoxius. Hinc ſumma in eo ad inflammationes ac tumores *eryſipelaceos* procliuitas, in pedibus cumprimis, quos maculae atri rubrique coloris, *ſcorbuti* latentis indicio haud fallaci, dudum obſederant, quin etiam in manibus aliquando digitisque animaduertebantur. Qui tunc praeſto eramus Collegae, D. IO. MAVR. HOFFMANNVS, et ego, pro ſyncero affectu noſtro alia atque alia ſuadentes, ſaepicule admonuimus, ut appoſito ſaltem cruri *fonticulo* ſibi proſpiceret, qualemcunque humorum nocentium deriuationem forte ſic effecturus, perſeuerante inprimis ad eundem pedem confluxu. Verum ille, ſenectutem ſummam et inſtantem uitae terminum conſiderans, et auxilii moleſtiam aliquam ueritus, idem modeſte recuſauit, quaſi non eſſet operae pretium tentare multa in ſene decrepito. Cum duobus circiter ante obitum annis *tumor* iſtiusmodi *eryſipelaceus* in pede dextro, ſupra genu oriretur, et in abſceſſum mali moris uergeret, tunc quidem tempeſtiue, facta ſuppuratione, ex uoto ſucceſſit curatio, ut breui tempore in integrum reſtitueretur Vir optimus ; me plurimum gaudente, quod amplius confirmatum ſentirem pium praeſagium, de longiori uita eius, publice declaratum in *epiſtolica diſſertatione de Medicorum longaeuitate*, qua LXXVII. natalem ipſi congratulatus eram. Aſt enim uero ſimile malum deinceps occupauit eiusdem pedis inferiorem partem, circa talum, et profundius ſe inſinuando in articulum, neruos ac tendines adeo grauiter affecit, ut deterrima ulceris ſanies, ipſeque tandem partis affectae color *gangraenam* portenderet ; cui quidem probatiſſima quaevis remedia, ſed incaſſum, adhibita fuerunt. Quamobrem Pius Venerandusque Senex ad ſalutarem migrationem ſe comparauit, tanto quidem promtiori animo, quanto maiorem ſemper animae ſuae curam habuerat. Atque ita, chariſſimis ſibi liberis ac nepotibus bene precatus, d. III. Idus Octobres, A. R. S. CIↃ IↃ CC IX.

DEO

DEO innixus, inter preces gemitusque circumſtantium, mortalitatem expleuit, placideque obiit, *totius Academiae noſtrae et Collegii Med. Nor. Senior Venerabilis;* qui unus ad IVNGERMANNI aetatem proxime acceſſit.

Vir ſane omni laude ſuperior fuit, quo minus eam affectauit, cum non modo meruerit, ſed et pridem conſecutus fuerit a compluribus celeberrimis Viris, ampliſſimam. Ex eorum numero, teſtantibus ipſorummet manuſcriptis literis (quas *Filius Excellentiſſimus* adhuc ſeruat) non poſſum, quin commemorem FERDIN. FRIDER. ILMERVM DE VVARTENBERG, *Archiatrum Caeſareum*, GVIDONEM PATINVM, *Profeſſorem Regium Pariſienſem*, CHRIST. MENTZELIVM, *Archiatrum Elect. Brandenb.* CAROL. SPONIVM, *Lugdunenſem Medicum*, GEORG. VVOLFG. VVEDELIVM, *Prof. Med. Ienenſem*, GEORG. FRANCVM DE FRANCKENAV, *Archiatrum Reg. Daniae*, EL. RVD. CAMERARIVM, *Prof. Med. Tubingenſem*, THEOD. IANSON. AB ALMELOVEEN, *Polyhiſt. et Med. Belgam;* praeter alios bene multos, uirtutis et doctrinae *Brunonianae* aequos aeſtimatores; quibus cum τῷ μακαρίτῳ amicitia interceſſit ac literarium commercium.

* * *

SCRIPTA IAC. PANCRAT. BRVNONIS EDITA.

1. *Oratio de Vita, moribus et ſcriptis* CASP. HOFMANNI, extat cum eiusdem *Hofmanni Iſagoge Medica*, Curiae Nariſcorum 1661. in 12mo. item Lipſiae 1664. et 78.
2. IESSENII A IESSEN, *de Sanguine, Vena ſecta dimiſſo, iudicium;* notis et caſtigationibus ad hodierna et uera Artis Medicae principia accommodauit et edidit, Norimbergae, 1668. in 12.
3. AGAPETI *Scheda Regia* ad IVSTINIANVM *Imperatorem*, cum notis Parentis, IACOBI BRVNONIS, abs ſe (filio) recognitis et auctis, Lipſiae, 1669. 8vo.

 4. *Dogmata*

4. *Dogmata Medicinae Generalia*, in ordinem nouiter redacta, a rebus extraneis depurata, et ad uera, recentiorum praeſertim, principia accommodata, Norimbergae, 1670. in 8uo.

5. *Remorae et impedimenta Purgationis*, in ſcriptis HIPPOCRATIS detecta, per uera Artis Medicae principia demonſtrata, aliisque ueterum et recentiorum Doctorum teſtimoniis confirmata, et Exercitationibus quinque comprehenſa: Quibus annexae ſunt Theſes Medicae *de Purgationis modo ac uiis per aluum*; una cum quorundam ἐλλειμμάτων (*) appendice, Altorfi, 1676. in 4to.

6. *Caſtellus renouatus*, h. e. *Lexicon Medicum*, quondam a BARTHOL. CASTELLO inchoatum, per alios poſtea continuatum, nunc uero ad uera nouaque Artis Medicae principia accommodatum, a plurimis mendis et uitioſis allegationibus correctum, et innumerabilium pene uocabulorum acceſſione amplificatum, Norimbergae, 1682. in 4to. Accedit *Mantiſſa Nomenclaturae Medicae Heptaglottae etc.* Idem Lexicon denuo et auctius (*Amalthei Caſtello-Brunoniani* titulo) editum ibidem, 1688. ac tertium Lipſiae, 1713. chartae maiori impreſſum. (**)

7. *Propylcum Medicum*, h. e. Epitome, mera et uera Medicinae Elementa et Dogmata generalia, quaeſtionibus et reſponſionibus comprehendens, Altorfi Nor. 1696. 8uo.

* * *

Diſſertationes ſeparatim a BRVNONE editae, aut ſub eiusdem Praeſidio habitae.

1. Diſputatio inauguralis, de Ophthalmia, 1653.
2. De ſanguinis fermentatione, Reſp. *Io. Chr. VVider*, 1663.
3. De ſudore ſecundum naturam, Reſp. *Io. Georg. Roetenbeck*, 1669.

4. De

(*) in Appendice iſta examinatur IO. NIC. PECHLINI *noua Exercitatio, de Purgantium facultatibus*, et inprimis doctrina *Hippocr.* et *Galeni*, circa eandem materiam, ſolide uindicatur.

(**) ad ultimam hanc editionem locupletandam b. Autor amplas uocabulorum acceſſiones reliquit.

4. De Conſuetudine, Reſp. *Fr. VVilh. Schafferus*, 1673.
5. De Pinguedine, Reſp. *Io. Maur. Hoffmannus*, 1674.
6. De Medicamentis ex homine, qua uiuo, qua mortuo deſumtis, Reſp. *Io. Paul. VVurffbain*, 1677.
7. De Nutritio et animali liquore, Reſp. *Io. Oheim*, 1678.
8. Methodus medendi cum ſubcontrarietate, ex Hippocr. Sect. II. Aph. 22. Reſp. *Mart. Rhan*, 1680.
9. De Tranſpiratione inſenſibili, Reſp. *Lud. Miller*, 1680.
10. De Cephalalgia, Reſp. *Io. Victor. Iaegerſchmidt*, 1683.
11. De Flatibus, Reſp. *Io. Lud. Apinus*, 1686.
12. De Fuliginibus humani corporis, Reſp. *Erdmann. Kupizius*, 1687.
13. De Circuitus ſanguinis neceſſitate, Reſp. *D. F. Hasbergen*, 1690.
14. De Myſterio Medico, uere catholico, Reſp. *Ern. Chr. Bruckner*, 1691.
15. Monita et Poriſmata medica miſcellanea, Reſp. *VV. F. Hienlin*, 1698.
16. De Epilepſia puerili, Reſp. *Phil. Heinr. Brant*, 1699.

* *

Quid de *lucubrationibus* aliis τȣ̃ μακαρίτȣ, hactenus *in publicum nondum datis* referam, eo magis ambigo, quo minus exploratum habeo, quaenam ex iis ipſemet ad publicos uſus deſtinauerit, aut eundem in finem perfecerit. Quoniam uero omnia eius ſingulari quadam diligentia magnoque iudicio condita exiſtunt, etiamſi fortaſſe ultima ab auctore lima non ſit addita, aequum fore arbitror, ut ea minimum, quae ſunt in meis manibus, certe mihi cariſſima, recenſeam. Inprimis autem commemoratione digniſſimum, et tanquam abſolutum *opus* exiſtimo illud *Commentariorum in Aphoriſmos* HIPPOCRATIS, quorum quidem maior pars usque ad *Aph.* L. *Sect.* IV. per diſputationes, in *Circulo Academico* habitas, expoſita, partim quoque typis expreſſa iam ſunt. Integrum uero ἀυτόγραφον, bona ſane fortuna, et iuſto emptionis titulo adeptum poſſideo; de quo haud uereor affirmare, quod in ſuo genere poſſit eſſe inſtar omnium.

Praeterea

Praeterea uero, ipſiusmet b. BRVNONIS manu etiam exarata, alia cuſtodio, quorum hi ſunt tituli:

Semiologia parua ſpecialis, ſuccinctam morborum internorum praecipuorum dignotionem et praenotionem exhibens, priuatim propoſita A. 1686.

Iaſiologia parua ſpecialis, ſuccinctam morborum, in Semiologia parua ſpeciali propoſitorum, curandi rationem exhibens, A. 1687.

Iſagoge Pathologico-therapeutica particularis, iuxta ſeriem *Obſeruationum Medicinalium* IODOCI LOMMII, priuatim propoſita, A. 1694.

Collegium priuatum *de Ratione Conſultandi*, propoſitum A. 1680.

Annotationes Theoretico-Practicae in IOSEPHI IACKSON, Chimiatri Angli, *Enchiridion Medicum Theoretico-Practicum*, in priuato Collegio propoſitae A. 1697.

Inſuper haec plures habeo eiusdem Auctoris, ſed alia manu deſcriptas Tractationes eruditiſſimas, nominatim *Pathologiam paruam practicam: Collegia* duo diuerſa, *Pathologico-therapeutica*, elegantiſſimo ordine per quaeſtiones ac reſponſiones tradita: *Collegium Chirurgico-Practicum: de Formulis remediorum conſcribendis etc.*

IO. MAVR.



IOHANNES MAVRICIVS HOFFMANN
Philoſoph. et Medicinæ Doctor Diverſorum S.R.J. Principum Conſiliarius et Archiater Vniverſitatis Altdorfinæ Senior, et Ibidem Facultatis Medicæ Profeſsor Publicus Primarius Academiæ Naturæ Curioſorum adiunctus D. Heliodorus.
Natus Altdorfi d. VI. Octobris A. C. MDCLIII.

Wolfg. Philipp Kilian ſculpſit.

IO. MAVRICIVS HOFFMANNVS.

Semel decreueram, in exponendis uitae curriculis eorum, qui adhuc inter uiuos numerarentur, me non aliis uerbis uſurum, quam quibus ipſimet, abs ſe conceptis, tradere ac deſcribere ſinguli ſua uoluerint. Et hoc quidem animo, ante aliquot iam annos exoraui amiciſſimum mihi olim, per duo luſtra, Collegam, D. IO. MAVR. HOFFMANNVM, ut mature impertiret, quicquid opuſculo huic, pro ſua parte, inſerendum ſibi viſum fuerit. Nec multo poſt haud difficulter obtinui, propria eius manu conſignatam uitae hiſtoriam, ad extremum ferme biennium perductam. Haec igitur, uelut ex pacto & conuento, integra mihi nunc proponenda uenit; quamuis aegre feram, quod Vir optimus, ὁ νῦν ἐν ἁγίοις! adeo conciſe et humiliter de ſemet ipſo (pro ſingulari modeſtia ſua) praedicauerit, ut longe plura et luculentiora de tanto Viro commemorata, merito deſiderari queant.

Natus eſt Altorfi, d. VI. Octobr. A. CIƆ IƆ C LIII. Patre (antea laudato) MAVRICIO HOFFMANNO, itemque Matre laudatiſſima, ANNA MARGARETHA SAMBSTAGIO - SAMPFERIA. Poſt elegantiores literas, Latinas et Graecas, a Praeceptoribus domeſticis, tum et a IO. LVDOV. FABRO, Poëta Laur. Caeſ. et Scholae Hersbruccenſis moderatore traditas; menſe Maio A. LXVIIII. in patria, Rectore Vniuerſitatis FRIDER. REINHARTO, *Theol. Prof. P.* nomen ſuum inter Studioſos Academicos profeſſus, inde per duos annos ſedulam Philoſophiae operam dedit, atque praeter *publicas lectiones* Clariſſ. Profeſſorum, FELVVINGERI, KOENIGII, MOLITORIS, STVRMII, priuatiſſima IO. CONR. DVRRII *informatione* uſus eſt. Hinc, *Oratione*, *de cauſis longaeuitatis Majorum noſtrorum*, recitata, et Diſputatione publica, *de magnorum mundi corporum Magnetiſmo*, moderante STVRMIO habita, aetatis anno XVIII. nondum completo, in *Panegyri Petro-Paulina* A. CIƆ IƆ C LXXI. *Philoſophiae Magiſter* renunciatus eſt. Interim, quia Medicinam Philoſophiae amico ſimul iniunxerat connubio, *Venerandi Parentis* ſui, et D. BRVNONIS

Lectionibus auſcultauit, et *Reſpondentis* pariter ac *Opponentis* uicibus, in *Circulo Academico* aliquoties defunctus eſt.

Eiusdem illius anni menſe Septembr. patrium ſolum cum peregrino commutare conſtituit; ideoque *Jenenſi*, *Lipſienſi* & *VVittebergenſi Vniuerſitatibus* perluſtratis, Viriſque & Profeſſoribus celeberrimis ibidem ſalutatis, *Berolinum* adiit, et hinc in *Francofurtanam ad Viadrum Academiam* ſe transtulit, CHRISTOPH. VRSINI et IRENAEI VEHRII, Profeſſorum Medic. t. t. doctrina, qua publica qua priuata, multo cum eruditionis fœnore gauiſus, VEHRII ſimul aedibus et conuictu uſus, ac *Bibliotheca Academicæ*, nec non *Pelargianae* crebra uiſitatione, non absque ſingulari emolumento multum oblectatus fuit.

Integro ſic anno exacto, *Belgium* et *Angliam* inuiſere animus quidem ipſi erat, ſed turbae bellicae, a Gallis concitatae, effecerunt, ut gradum in patriam reuocare coactus fuerit. Hic pauliſper commoratus, iter in *Italiam* parauit; ſedem autem ibi praecipuam ſibi delegit *Patauinum Gymnaſium*, in quo per biennium fere, indefeſſo ardore audiuit docentes *Illuſtriſſimos Comites*, HIERON. FRIGIMELICAM, Nationis German. Protectorem, et ALEXAND. BORROMEVM, tum et alios Medicinae Profeſſores inclytos, RAYMVNDVM IO. FORTEM, ANTON. MOLINETTVM, DOMINICVM et ANTON. DE MARCHETTIS, etc. Interfuit etiam *Anatomiis ſolennibus* anniuerſariis; nec minus *botanicis demonſtrationibus*, quas in horto Academico GEORG. a TVRRE habuit, frequentem ſpectatorem ſe praebuit; *Noſocomium* quoque ad D. *Franciſcum Maiorem* quotidie inuiſit, atque, ſub fideli manuductione ANTON. DE MARCHETTIS, *ſectionibus priuatis aliquot humanorum cadauerum* manus admouit proprias. Eodem etiam Doctore, methodum extrahendi arterias, uenas ac neruos ex hominum corporibus, non ſine multo labore addidicit. Contubernium et conuictum habuit apud CAROLVM OFFREDVM, Medicum et Polyhiſtora eximium. *Chimiae* Dogmata et Experimenta curioſe percepit a IACOBO BARNERO, et EBERH. MELCHIORE, Germanis natione, in iſta arte plurimum uerſatis. Praeterea Venetiis, eadem

eadem de cauſa coluit OTTONEM TACHENIVM et IO. BOEHMIVM, percelebres Medicinae Doctores atque Chimicos. Pataui uero praeſtantiſſimum Oratorem, OCTAVIVM FERRARIVM, maximo cum applauſu diſſerentem aliquoties admiratus eſt.

Caeterum nec ſine honorum acceſſione ibi uixit; quandoquidem *inclytae Nationis Germanicae Artiſtarum Bibliothecarius primarius, et Bohemicae Conſiliarius* legitime conſtitutus eſt: Quo in officio non modo Bibliothecam in ordinem meliorem redegit, ſed et librorum Catalogum, ab ſe conſcriptum, primum typis excudi curauit. *Patauio* relicto, iter per *Ferrariam*, *Bononiam* et *Lauretanam domum*, *Romam* uerſus inſtituit, ac in Vrbe, ATHANASII KIRCHERI et GVIL. RIVAE, S. Pontificis Chirurgi humanitate et conſuetudine gauiſus, *Antiquitates* aliasque res memorabiles in iſto Orbis compendio attentis oculis perluſtrauit: *Bibliothecae Vaticanae*, libero impetrato aditu, amplitudinem, librorum copiam, raritatem atque ſplendorem, ſeorſum *Codicis MSti Hiſtoriae Plinianae* elegantiam, et figurarum appictarum artificium demiratus. Praeterea famigeratiſſimum illud *ad Spiritum S. Noſocomium* ſubinde intrauit.

Neapolim uerſus iter proſecuturo, uiarum minus tuta conditio, tum et diſſenſus Parentis obſtiterunt. Quapropter, unde uenerat reuerſus, in tranſitu *Viterbum*, *Sienam*, *Florentiam*, *Piſam*, *Liuornum*, *Luccam* etc. curioſe contemplatus, denuo *Patauium* peruenit, ibidemque aliquandiu commoratus, ad patrios lares reuocatus eſt.

Paulo poſt aduentum ſuum, elaboratam a ſe *diſſertationem de Pinguedine*, *ſub praeſidio Brunoniano*, publice habuit, deinceps uero *inauguralem* etiam, de *paroxyſmis uehementioribus ac frequentioribus*, ſtrenue defendit, et in ſolenni Acad. Panegyri A. S. LXXV. a uenerando Parente, t. t. *Decano*, *Laurea Doctorum* coronatus eſt. Hinc *Proſectoris* munere in Anatome publica rite functus, priuata Collegia Anatomico-Phyſiologica inſtituit, habitisque, ſuo ſub praeſidio, aliquot Diſputationibus publicis, idoneus fuit iudicatus, in quem onus Profeſſionis Anatomicae, a Parentis humeris transferretur: Factum hoc eſt

A. LXXVII. in ipſo *Feſto Petro-Paulino*, praeſentibus, et gratioſe conſentientibus cunctis *Academiae* CVRATORIBVS *Munificis*.

Cum interea ſaluberrimum agitaretur conſilium inſtaurandae *Chimiæ*, hanc prouinciam iidem *Benigniſſimi rerum Academicarum* MODERATORES obtulerunt HOFFMANNO Noſtro; quam ipſe adeo alacriter ſuſcepit; cum prius quidem in *Horto Academico*, aut alio quodam apto loco inſtitueret operas eo pertinentes, deinde uero impetraret, ut laudatiſſimorum DNN. CVRATORVM, depraedicanda ſaeculis liberalitate, ſub ipſis oppidi muris exſtrueretur ampliſſima exercendae Artis nobiliſſimae officina, quam uulgo *Laboratorium* uocant *Chimicum*. Huius tam ſplendidi, ſpatioſi, luculenti aedificii lapidem, fundamento praecipue deſtinatum, ipſemet *ὁ μακαρίτης* auſpicato conſecrauit, perfecto autem operi feliciſſimo, piae recordationis cauſſa, hanc ueluti *uotiuam tabulam* affigendam curauit:

B. F.
CHEMIAE
ARTIVM ANTIQVISSIMAE
ADMIRANDORVM NATVRAE OPERVM AEMVLAE
SOLVENDO ET COAGVLANDO
VNIVS REI INTERITVM
ET ALTERIVS PRINCIPIVM SIMVL AFFECTANTIS
EXERCITIO
DOMICILIVM HOC PVBLICVM
EX SINGVLARI ET POSTERIS DEPRAEDICANDA
INCLVTAE REIP. NORIMB.
MVNIFICENTIA
PRO FVTVRO ACADEMIAE ORNAMENTO
MEDICINAE INCREMENTO
A. R. S. CIↃ IↃCLXXXII.
FVNDITVS EXTRVI CVRARVNT

MAX.

MAX. STRENVI GENEROSI ET PRVDENTISSIMI
DOMINI
GABRIEL NVTZEL AB ET IN SINDERSPVHL
IIIVIR
VVILHELMVS IMHOF
IOH. PAVLVS PAVMGARTNER AB HOLENSTEIN ET
LOHNERSTADT IN GRVNSPERG
CAROLVS VVELSER A NEVNHOF
SENATORES ET SCHOLARCHAE SVMME MERITI

RECTORE VNIVERSITATIS
IACOBO PANCRATIO BRVNONE
PHIL. ET MED. D. HVIVSQ. P.P.

FACVLT. MED. DECANO
MAVRICIO HOFFMANNO
MED. D. ET PROF. PRIMARIO

PRIMO CHEMIAE PROFESS.
IOH. MAVRICIO HOFFMANNO
MAVR. F. PHIL. ET MED. D.

TV VERO
QVICVNQVE LOCVM HVNC ACCESSERIS
LABORIOSAS EVM DELICIAS ALERE NON
DESIDIAS
ET VVLCANI PALLADISQVE IN IVCVNDA
SOLICITVDINE
NEGOTIOSVM OCIVM FOVERE SCITO
NEVE TVRBES
CAVETO!

Vt autem ſibi etiam proſpiceret, ac rem familiarem prudenter inſtitueret, A. S. LXXXI. matrimonium iniit cum nobiliſſima Virgine ANNA MARIA EYSELIA, ex qua unicum ſuſcepit *filium*, FRID. MAVRICIVM, quem ipſe Parens ſollicite educatum, *Medicinae Doctorem* creauit, et *Aulae Onoldo-Brandenburgicae Medicum*, gratioſe conſtitutum uidit, usque dum beata morte iſte functus eſt A. cIↄ Iↄ ccxxII. *Filias* uero genuit quatuor, MARGARETHAM SYBILLAM, praematuro fato extinctam, CATHARINAM CHARLOTTAM, pridem nuptam Excellentiſſimo apud nos JCto et *Antecesſori*, itemque *Reip. Nor. Conſiliario*, D. IO. GEORG. FICHTNERO; SOPHIAM MARGARETHAM, collocatam FRANCISCO BVTTNERO, *Med. Doctori* experientiſſimo; FRIDERICAM IVLIANAM, quae nunc in matrimonio uiuit cum Viro maxime ſtrenuo, et rei militaris peritiſſimo N. N. FELHORNIO, *Supremo excubiarum, reique tormentariae Praefecto, et in Arce Coburgenſi Praeſidis uicem gerente.*

Poſt obitum b. Parentis, A. XCVIII. *Botanicam Profeſſionem, cum Horti Medici Praefectura* ſuſcepit, atque hunc nouis ſubinde plantarum rariorum ſpeciebus locupletauit: auctor etiam fuit, ut hybernaculum ab utroque latere amplificaretur, magna admodum commoditate aſſeruandarum per hyemem ſtirpium. Anno huius ſaeculi nono, cum b. D. BRVNO fatis conceſſiſſet, Noſter *primum in Facultate Medica locum* occupauit, et *Medicinam Practicam* publice docere coepit, Anatomica Profeſſione D. HEISTERO tradita. Tandem uero etiam *totius Senatus Academici Senior euaſit. Rectoris Acad.* officio ter, *Decani in ordine Med.* duodecies, omni fide et induſtria functus eſt. Interea quoque multum ſtudii adhibuit in *Academiam Imperial. Natur. Curioſ.* cui iam ſaeculi ſuperioris A. LXXXIV. *Heliodori* cognomine adſcriptus, et quinquennio poſt, inter eiusdem Societatis *Praeſidi Adiunctos* relatus fuit. Complures autem egregias obſeruationes Anatomici, Chimici et Medici praeſertim argumenti, ad *Ephemerides* laudatae *Academiae* contulit; atque adeo promeruit, ut poſt exceſſum D. LOCHNERI, *Director illarum Ephemeridum*, a uenerando *Praeſide*, illuſtri

SCHROE-

SCHROECKIO nominaretur; cui quidem muneri, haud nuper addictos, AVGVSTISS. CAESARVM clementiſſimo decreto, titulos honorificos, *Archiatri Caeſarei*, *Sacri Palatii Comitis*, atque *S. R. I. Nobilis* ſimul adeptus eſt.

Nec minus uero in facienda, quam in docenda Medicina, uirtutem ac diligentiam ſuam comprobauit, non inferiorum ſaltem ordinum hominibus, uerum etiam ſuperiorum bene multis, ipſisque *Principibus*, ut quorundam ſtipendia etiam annua mereretur. Etenim *Sereniſſimus Marchio Brandenburg. Onoldinus*, D. GEORG. FRIDERICVS, cum antea iam, uariolis decumbens, ſalutare Noſtri conſilium expertus eſſet, eundem anno ſuperioris ſaeculi XCV. *Conſiliarium et Archiatrum* ſibi conſtituit, et itineris per uniuerſam *Italiam* adſciuit comitem; quod etiam deinceps iterato euenit, cum idem *Princeps glorioſiſſimae memoriae*, in caſtris Caeſareis ad *Rhenum*, poſteaque ad *Padum* in *Italia* flumen uerſaretur, graſſantibus tunc, multamque ſtragem inter milites edentibus *mali moris febribus*, ipſaque *dyſenteria*: a quarum contagione, adiutus diuina gratia HOFFMANNVS, prudenter non minus quam feliciter defendit optimum *Principem* ſuum. Hac autem occaſione alii etiam *exercituum Caeſareanorum ſupremi Duces* (quos *Generales* uulgo uocant) Noſtri conſiliis in medendo uſi ſunt, nominatim e *Celſiſſima Domo Lotharingica* PRINCIPES inclyti, DE COMMERCY et DE VAVDEMONT, *Comites* item *de* STAHREMBERG et AVERSPERG, aliique plures. Ex quo autem laudatiſſimus ille MARCHIO, infelici ad *Schmid Mühlen*, ſuperioris Palatinatus oppidum, expeditione grauiter uulneratus obiit, Frater ipſius D. VVILHELMVS FRIDERICVS, eandem dignitatem Noſtro confirmauit; qualem etiam *Sereniſſimus* COMES PALATINVS atque DVX *Solisbacenſis*, D. THEODORVS, ultro detulit; uterque autem *Princeps* cariſſimum ſibi ſemper illum habuit. Singulari quoque gratia ualuit apud *Sereniſſimos Marchiones Brandenburgo-Culmbacenſes*, D. CHRIST. ERNESTVM, et D. CHRIST. HENRICVM, itemque *Ducem VVurtembergico-VVeiltingenſem*, nec non *Principem* LOBKOVVIZIVM *Saganique Ducem*; qui

qui omnes conſilio & opera HOFFMANNI ſaepe ſalutariter uſi ſunt. Elegit etiam eundem ſibi *Sereniſſ. Polon. Regina*, et *Elect. Saxon.* CHRISTIANA EBERHARDINA, ad dirigendum *Balnei Burck-Bernheimenſis* uſum, et clementiſſime propterea remunerauit.

Appropinquante ſenio, futurum quidem ſperabat, ut in *Academia patria* penitus conſeneſceret, atque ad latus b. Parentis mortalitatis ſuae ſpolia deponeret; ſed aliter uiſum fuit illi, qui res mundanas ſapientiſſime temperat, cuius ſanctiſſimo nutui obtemperare, et alio migrare, patriosque relinquere fines ipſe quaſi coactus eſt. Nimirum laudatiſſimus *Onoldo-Brandenburgicus Marchio*, D. VVILHELMVS FRIDERICVS, ſibi, celſiſſimaeque Familiae ſuae, continenter praeſentem habere uoluit tam probatae fidei Virum, praeſtantemque Medicum. Quare honeſtis admodum lautisque conditionibus, adiecto etiam *Conſiliarii Aulici titulo*, eo illum adduxit, ut *Onoldum* concederet, ibidemque domicilium haberet. Abitum igitur a nobis parauit exeunte anno huius ſaeculi XIII.

Hucusque tantum non omnia τῦ μακαρίτυ fata *propriis ipſius uerbis* (paucis interiectis meis) fideliter retuli. Supereſt, ut compleam uitae hiſtoriam, enarrando *finem*; qui incidit in d. ultimum Octob. anni ſuperioris XXVII. Cauſam extremae aegritudinis dediſſe uidebatur *podagricae materiae receſſus* ad interioria corporis et uiſcera nobiliora, deficiente nimirum naturae robore, tot laboribus, curis, ſenectute tandem (quae ipſa morbus eſt) fracto et exhauſto; impetu etiam mali tanto grauiore, quo longius ſaepiusque cum eo conflictatus erat Noſter, *haereditario uitio.* Sicut autem per omnem uitam pietate patientiaque ſingulari praeluxit, ita earundem uirtutum pulcherrimo comitatu, & plane digna homine Chriſtiano ratione, ſupremas afflictiones ipſamque mortem ſuperauit, quam omnino placidam, in uera fide obiit.

Nunc ego ſane uellem, ut huic tam ſimplici *Biographiae*, pro maximo τῦ μακαρίτυ merito, *elogium* aliquod conueniens adſtruere ualerem. Aſt enim uero ſatis excuſatum me fore arbitror, ſi aperte et ingenue confitear, *eſſe illum omni laude et facundia mea maiorem.* Quare fruſtra uirtutes ipſius egregias, pro dignitate ſua, praedicare conarer,

narer; *humanitatem* inprimis ſummam, qua omne genus hominum ſibi magnopere ſemper deuinxit; φιλοπονίαν inſuper incredibilem, qua non ſolum a tot diſcipulis, docendo, ſed & ab innumeris aegrotis, curando ipſorum ualetudinem, immortales promeruit gratias. Cum ſaepius abeſſe domo cogeretur, ſtatim ut rediit, ad operas Academicas reuerſus, conuocatis auditoribus, uſuram temporis ſarcire ſtuduit. Superſtites ſunt multi alacritatis illius teſtes, qui et ſeorſum excellentiam Viri in *re Anatomica* collaudabunt. Mihi ſaltem liceat, quod ipſemet non ſemel expertus ſum, declarare breuiter, mutuatis a THOMA BARTHOLINO uerbis, quibus is de clariſſimo eiusdem rei *Profeſſore Patauino*, IO. VESLINGIO, pronunciauit(*): *Theatrum Anatomicum ſua eloquentia et ſecandi dexteritate animauit; ut uno tempore* PLINIVM *loquentem et ſecantem* HEROPHILVM *crederemus: Nitida manu praeiuit* (ſpectatoribus) *iſtisque ſacris initiatis*: Quae quidem *munditia*, in tractandis rebus natura immundis horrendisque, tanto magis commendari debet, quanto rarius obſervatur hodie ab eius generis artificibus. Multas autem crebrasque ſatis inſtituit, magno ſemper cum applauſu, *diſſectiones cadauerum publicas*; perperam dubitante *Biographo* quodam nupero, noſtrarum fortaſſe rerum ignaro; cum hoc ſcire ac referre potius conueniſſet, quod poſt HOFFMANNORVM diligentiam, nihil omnino *Sceletorum* aliusue ornamenti acceſſerit *Theatro Anatomico*. De Florae Altorfinae incremento, quod induſtria τοῦ μακαρίτου attulit, antea quidem nonnihil profeſſus ſum, plura uero commemoraui in *hiſtoria Horti Medici*, nuper edita. Praecipuum autem meritorum illius Viri ſpecimen eſſe, nemo non agnoſcit, auſpicato introductam *Chimiae Profeſſionem*, quae unica deeſſe uidebatur commoditati *Philiatrorum* noſtrorum.

* * *

SCRIPTA IO. MAVRICII HOFFMANNI EDITA.

1. Diſſertationes Anatomico-Phyſiologicae, ad IOH. VAN HORNE *Microcoſmum* annotatae, A. 1685. in 4to.

S 2. Idea

(*) Oration. p. 75.

2. *Idea Machinae humanae Anatomico-Phyſiologica*, ad obſeruationes recentiores conformata, & ad methodum lectionum ſolennium accommodata, A. 1703. in 4to. (*)
3. *Florae Altorfinae deliciae hortenſes, locupletiores factae*, ſiue Appendix Catalogi *Horti Medici Altorfini*, plantarum nouarum acceſſione aucta, A. 1703. in 4.
4. *Diſquiſitio corporis humani Anatomico-Pathologica*, rationibus et obſeruationibus ueterum ac recentiorum confirmata, A. 1713. in 4to. (**)
5. *Acta Laboratorii Chimici Altorfini*, Chimiae fundamenta, operationes praecipuas, et tentamina curioſa; ratione et experientia ſuffulta, complectentia, A. 1720. in 4to. (***)
6. *Syntagma Pathologico-Therapeuticum*, ad IO. HARTMANNI *Praxin Chimiatricam* concinnatum; Morborum ibidem propoſitorum, et plurium omiſſorum, nunc additorum, ſubiectum, cauſas, ſigna et curationem, probatiſſimorum remediorum acceſſione auctam complectens: una cum *Proluſionibus* XLIV. *de remediorum delectu*, Lipſiae, 1728. in 4to.

* *

Diſputationes publicae ſub eiusdem directione et praeſidio habitae.

1. De Αεροτηρία, ſeu Microcoſmi Aeolia, Reſpondente *Matthia Henr. VVinter*, Creilshemio-Franco, 1680.
2. De Aegro Aſthmatico, Reſpond. *Ioh. Bartholom. Cramer*, Vlmenſi, 1681.
3. De Oſſium Carie, Reſpond. *Magno Maſſon*, Stutgardienſe Sueuo, 1681.

4. De

(*) Honorifica huius operis recenſio extat in *Act. Erudit. Lipſienſ.* A. 1704. p. 63. ſeq.

(**) vid. eorund. *Actorum* A. 1713. p. 452.

(***) vid. A. 1720. p. 31. ſeq.

4. De Naſo, faciei promontorio, Reſp. *Mich. Frid. Lochnero*, Furtha-Norico, 1681.
5. De dolore, Reſpond. *Daniele Zollicofero*, Sangallo-Helueto, 1682.
6. De Glandulis renalibus, Reſpond. *Friderico Iac. Brunone*, Altorf. 1682.
7. De Cuticula & Cute, Reſpond. *Chriſtoph. Daniele Metzgero*, Poſonienſe Hungaro, 1685.
8. De Medicamentis martialibus, Reſpond. *Io. Georg. Beutel*, Ratisbonenſe, 1685.
9. De Anorexia, Reſpond. *Io. Iuſto Kornmanno* de Hornsbach, Alsfeldia-Haſſo, 1685.
10. De Odoramentis & Suffimentis, Reſpond. *Io. Iacobo Cnopff*, Viennenſi-Auſtrio, 1686.
11. De Vena Portae, Reſpond. *Ioh. Guilielmo Ayrer*, Norimbergenſi, 1687.
12. De Guſtu, Reſpond. *Bernhardo Matthia Franco*, Kilonienſi-Holſato, 1689.
13. De Liquore gaſtrico, Reſpond. *Adamo Vnzelmann*, Delmenhorſtenſe.
14. De Pericardio, Reſpond. *Georg. Frid. Franco de Franckenau*, Argentoratenſe, 1690.
15. De Suturis cranii humani, Reſpond. *Daniele Henr. Meibomio*, Helmſtadienſe, 1691.
16. De Saliuatione mercuriali, Reſpond. *Adamo Vnzelmanno*, Delmenh. 1691.
17. De Nervis, Reſpond. *Ioh. Pauero*, Vratislauienſe, 1692.
18. De Aëre morbifico, Reſp. *Chriſtoph. Eraſmo Gockelio*, Vlmenſe, 1694.
19. De Omento, Reſpond. *Ioh. Vierzigmanno*, 1695.
20. De fluidorum catholicorum foetus motu, Reſpond. *Carolo Rayger*, Poſon. Hung. 1695.
21. De Diluuio Microcoſmi peculiari, ſiue Hydrocephalo, Reſp. *Melchiore Cunrado Cramer*, Onoldo-Franc. 1695.
22. De Secretione animali, Reſp. *Erhardo Huber*, Diſſenhof. Heluet. 1695.

23. De Pancreate, Reſp. *Ioh. Sam. Römhild*, Coburg. Fr. 1706.

24. De Ptarmographia, Reſp. *Ioſeph. Iacob. Hämpel*, Pilsna-Bohemo, 1711.

25. Sciagraphia methodi medendi, primis deſignata lineis, Reſpond. *Chriſtoph. Iacob. Treu*, Lauffa-Norico, d. 2. Dec. 1713.

* *

Non eſſet alienum, hic inſtituere recenſionem tot inſignium rariorumque *Obſeruationum*, quibus idem Vir laborioſiſſimus *Ephemerides Acad. Imperial. Nat. Curioſ.* ſubinde locupletauit: Quoniam uero ingens earum eſt numerus, ut prope ad Centuriam accedat; mallem ego, ut L. B. (cui uolupe eſt) euoluat *Indices* ampliſſimi operis illius, et inſpiciat ipſas obſeruationes, quam ut nudos earundem titulos a me hoc loco requirat. Caeterum annotare omnino par eſt, quod anno ſuperiore, Noſter ille, *Director*, procurauerit *primum Volumen Actorum Phyſico-Medicorum Acad. Caeſar. Nat. Curioſ.* tanquam continuationem *Ephemeridum*; nouo ſub hoc titulo fortaſſe vendibiliorem futuram.

* *

Nondum edita, elaborata tamen ſcripta, beatus Autor reliquit ſequentia:

Annotationes breues, cum ſelectiorum remediorum apparatu, ad *monita medica* IO. IAC. VVALDSCHMIDII.

Sciagraphiam Inſtitutionum Medicarum, per quaeſtiones ac reſponſiones deſignatam.

PAVLI BARBETTE *Chirurgiam*, Notis et remediis dilucidatam.

IO. LVDO-



Wolffg. Philipp Kilian. delin. et ſculpſit.

IO. LVDOVICVS APINVS.

Peculiare contigit hoc, idemque glorioſum Lycéo noſtro, quod plerique *Profeſſores Medici*, *ualde ſenes* euaſerint, ſuumque munus per aliquot luſtra laudate ſuſtinuerint: Vnde factum etiam eſt, ut ab annis fere CXX. non plures quam *decem* illorum heic uixerint; tametſi plerunque tres, rarius duo ſimul in *Facultate* noſtra fuerint conſtituti. Binorum ſaltem, SONERI nempe et NICOLAI, breuior aetas extitit. Breuiſſima autem apud nos fuit commoratio IO. LVDOV. APINI, utpote qui, nondum exacto a ſua receptione biennio, e uita exceſſit. Huius adeo anguſti curriculi hiſtoriae, nunc proponendae, ingemiſcens praemitto partem carminis, quo AVSONIVS (*) olim breuem uitam ALETII MINERVII filii Rhetoris deplorauit:

Oſtentatus,
Raptusque ſimul;
Solſtitialis
Velut herba ſolet!

Communem uero hanc lucem ille aſpexit *Oeringae Francorum*, oppido *Hohenloicae ditionis* principe, A. S. CIↃ IↃCLXVIII. duodecimo Calend. Decembris. Patrem nactus eſt IO. FRID. APINVM, in eodem loco Sacerdotem meritiſſimum, Matrem vero uirtutibus ornatiſſimam, EVPHROSINAM MARIAM, natalibus RIEBIAM, quae poſt mariti filiique fata diu ſuperſtes, octuagenaria major tandem deceſſit.

Poſt prima pietatis et literarum fundamenta, ſub inſtitutione Parentis poſita, curae commiſſus fuit IO. IAC. LVDOVICI, Rectoris Gymnaſii patrii bene meriti, qui eo majori amoris affectu puerum complexus eſt, quo meliorem indolem ac docilitatem in eo perſpexit; quandoquidem ille, ſuo decimo aetatis anno, aliquot Autoribus Claſſicis iam rite tractatis, ſingulisque Gymnaſii ordinibus (ubique palmam commilitonibus praeripiendo) percurſis, orationem habuit ſolennem poeticam, ſexcentorum uerſuum, *de Hieroſolyma euerſa*, et altero anno eadem de materia aliam, *Salluſtiano ſtilo* concinnatam recitauit; deinde uero *San-*

(*) Profeſſor. VII.

ctiſſimi SALVATORIS *noſtri Natiuitatem, Mortem, glorioſamque Reſurrectionem*, uario carmine deſcriptam celebrauit; quin et Muſa uernacula D. LVTHERI uitam recenſuit; denique de *Medicis Parabolanis* publice perorauit. Haec omnia quaſi praeuidens optimus Praeceptor, non potuit non perſuadere matri pientiſſimae, ut filium tantae ſpei (quantumuis a praematuro Patris obitu res anguſta domi eſſet) a bonarum artium ſtudio haud auocaret.

Is igitur *Patronorum* conſenſu, et GEORG. REITMEIERI, *Archiatri Hohenloici*, teſtimonio beneuolo, inprimis autem *Diuina gratia* comitante, *Altorfium* profectus eſt A. cIↄ Iↄc LXXXVI. Nec defuerunt hic ſedulitatis *Apinianae* exiſtimatores, qui ad maiora eum cohortarentur, etiam ſponte ſua recteque currentem amplius incitarent; quod praecipue fecerunt *Excellentiſſimi Philoſophi*, IO. CHRISTOPH. STVRMIVS, et GEORG. ROETENBECCIVS, quorum diſciplinae alumnus aſſiduus gratiſſimusque fuit, iisdemque praeeuntibus, *diſputando* etiam ſaepius ſe exercuit. Poſtea traiectum in *Medicinae* familiam fecit, nomenque huic arti dedit, ac *celeberrimos* t. t. *Profeſſores, utrumque* HOFFMANNVM, et BRVNONEM, diligentiſſime audiuit, ſingulas illius Artis partes accurate ſolideque explicantes. Interea, cum neceſſarios ad ſtudia ſumtus neutiquam ſuppeditaret pertenue patrimonium, neque Mater, ob difficultatem rei familiaris, ſubuenire multum poſſet; honeſta quauis ratione ſibi conſuluit, partim priuata puerorum inſtitutione, partim ſuſcepto in *Meyeriana typographia correctoris munere*, quod ſeorſum ac ſedulo commodauit editioni ſecundae *Lexici Medici Caſtello-Brunoniani*. Atque his qualibuscunque adminiculis, fauore item ſingulari Praeceptorum ſubleuatus ille, ſtudiorum ſuorum in Academia curſum feliciter confecit, et anno ſaeculi ſuperioris XC. cum applauſu conſecutus eſt *Licentiam petendi gradum Doctoris*, habita prius *inaugurali diſſertatione, de Syncope*.

In patriam inde reuerſus, Medicinam ibi facere incepit, eo quidem ſucceſſu, ut ipſimet *Celſiſſimi* COMITES HOHENLOICI, doctrinae ac peritiae teſtimonio perclementi exhibito, *ordinariam Medici prouinciam*

tiam gratioſiſſime decernerent. Aſt cum ab Occidente infeſtiſſimus Germaniae hoſtis ruinam patriae minaretur, iamque omnia conclamata uiderentur, apud animum conſtituit beatus Noſter, redire ad *Noricos*; quod et peropportune fecit, cum *Inclytae* REIP. NORIMB. PROCERES, Doctorum, quos *Altorfii* ueneratus erat APINVS, eximia commendatione A. XCI. amplum artis experiundae munus in oppido Hersbruccenſi eidem demandarent; quod officium, antequam Dei uirtute auſpicaretur, ſummum *Doctoris titulum* in hac Vniuerſitate Studiorum, magna cum laude et ex merito obtinuit.

Poliatri autem *Hersbruccenſis* munere functus eſt annis undecim, eoque multos induſtriae, uigilantiae ac dexteritatis ſuae praecones ſibi conciliauit: indies enim creuit eiusdem exiſtimatio, neque *Noricos* intra limites teneri potuit, ſed ultra mouit, quin etiam permouit *Illuſtrem* D. LVCAM SCHROECKIVM, ut *Collegio Nat. Curioſ.* ipſe *Praeſes* ſplendidiſſimus, adſcriberet APINVM, et *cognomine* NONI (inter Graecos olim Medicos clariſſimi) ornaret. Vt igitur ea ſodalitate, quam ingreſſus erat, non indignum ſe exhiberet, atque pro eiusdem laudabili conſuetudine, publicum aliquod ſpecimen ederet, hoc animo conſcripſit eruditiſſimam *febris epidemicae hiſtoriam*, in qua non tantum morbi iſtius naturam, uarietatem, *ſymptomata*, ſed et curandi rationem adeo docte et ſapienter euoluit, ut dignum etiam iudicarent librum *Clariſſimi Act. erudit. Lipſ. Collectores*, quem A. XCVIII. recenſione ſua et elogio commendarent. Praecipuum uero, quod in eodem praeſtitit *Autor nobiliſſimus*, (meo quidem iudicio) eſt declarata uirtus et utilitas *corticis peregrini*, quem *Schacarillam*, ſeu *Caſcarillam* uulgo uocant; quo ille non ſolum in iſtis febribus, ſed et aliis affectibus, magno cum emolumento aegrotantium frequenter uſus eſt, parato inprimis *extracto*, *Lyxipyreti* nomine diſpenſato. Huius igitur medicamenti, ſi non inuentio, certe prima et curioſiſſima celebratio, ac per innumeros fere caſus, prouida non minus quam felix periclitatio, uel ſola ſufficeret ad perpetuam APINO gloriam alendam; etſi uel maxime deeſſent alia meritorum documenta.

Eorum

Eorum uero haud poſtremum eſt, quod *Sereniſſimus* DVX et COMES PALAT. *Solisbacenſis*, A. S. XCVII. ualetudinem ſuam, *Celſiſſimaeque Domus* ſuae, Noſtro commiſerit, eundemque *Archiatrum* ſibi conſtituerit, ac ſemper clementiſſime habitum, magnis ſubinde muneribus affecerit.

Circa A. cIↄIↄcXCIIII. in *ampliſſimum Collegium Medic. Norimberg.* ex publico *Inclytae* REIP. SENATVS *illuſtris* decreto receptus, ab illo tempore (quemadmodum iam antea fecit) non paucis illius urbis ciuibus medendo laudabiliter prodeſſe perrexit. Cum uero interim mortem obiiſſet D. MAVR. HOFFMANNVS noſter, eiusdemque locus ultra tertium annum (neſcio quibus de cauſis) uacuus eſſet relictus, in eundem denique, anno huius ſeculi ſecundo, menſe Februario, gratioſa *Generoſiſſ.* DNN. CVRATORVM uoluntate ſuffectus eſt Noſter, et omni, qua par erat, obſeruantia uiriumque applicatione ad munus dextre gerendum ſe praeparauit, edito *Programmate*, *de Periergia Hippocratica, magno ad faciendos in arte progreſſus impedimento*, habitaque hinc *Oratione ſolenni*, *de Temperamentis*, ac ſine mora ſcholas aperuit Medicinae Studioſis, tam publicas quam priuatas, pro ratione ſpeciatim demandatae *Profeſſionis Phyſiologicae ac Chirurgicae.* In ſingulis autem doctrinam excellentem, induſtriam ac perſpicuitatem adeo probauit auditoribus ſuis, ut meliorem ſibi Praeceptorem nemo illorum optauerit.

Semel etiam in Ordine ſuo *Decani* ſuſtinuit officium, non minori autoritate, quam felicitate; quandoquidem trimeſtri ſpatio *ſex Medicinae Candidatos*, legitime inauguratos abſoluit. In Senatu Academico iuſtitiae et aequitatis amantiſſimum ſe exhibuit, ac de rebus propoſitis ſententiam ſuam prudenter ac modeſte tulit. Dignitatem *Rectoris*, ex ordine ſibi oblatam, inſigni moderatione animi deprecatus eſt, ſuam in rebus gerendis nondum ſatis confirmatam experientiam cauſatus.

Omnes igitur optima quaeque, a Viro tam erudito, induſtrio ac modeſto, ſibi pollicebantur, et longam ipſi uitam omnemque proſperitatem precabantur; maxime cum uiderent, quam auſpicato etiam inſti-

tueret

tuerit familiarem rem ſuam. Poſteaquam enim *Hersbruccenſis* Medici ſpartam nactus eſt, in matrimonium duxit Virginem nobiliſſimam, SVSANNAM MARIAM, honeſtiſſimis natalibus FVNCKIAM, ciuem ſuam, cum qua uixit, in exemplum caſti amoris, concordiae et frugalitatis. Neque ſiuit eſſe ſterile hoc coniugium diuina bonitas, ſed quatuor filiorum patrem APINVM effecit; quorum natu primus infans deceſſit, quartum genitor ipſe non uidit, utpote poſthumum. Duo autem reliqui in ſolatium Matris, uiduae moeſtiſſimae adoleuerunt. Et alter quidem, IO. LVDOVICVS, ſicuti nomine, ita uultus morumque ſuauitate, Parentem repraeſentare uidebatur, atque ſpem faciebat ampliſſimam, fore, ut doctrinae etiam ac profeſſionis genere eundem aliquando nobis redderet; quod etiam ſine dubio eueniſſet, niſi humaniſſimus iuuenis, iam tum Medicinae ſtudiis recte initiatus, immaturam oppetiiſſet mortem. Vnicus ergo ſuperſtes M. SIGISM. IAC. APINVS, paterni nominis exiſtimationem adhuc tuetur, *Philoſophiae, in Auditorio Aegidiano*, quod *Norimbergae* floret, *Profeſſor P.* clariſſimus, mihique gener chariſſimus.

Caeterum in iſto florente ſtatu placuit DIVINO NVMINI, eripere Noſtrum mundanis rebus, et ad meliorem transferre uitam. Cum enim anno hujus ſaeculi tertio, per integram fere aeſtatem ad autumnum usque in Medicina facienda multum fuiſſet occupatus, ab ipſomet etiam *Celſiſſimo Regimine* ELECT. PALAT. BAVAR. *Ambergenſi*, perſcriptis ad *Rectorem et Senatum Acad.* literis, enixe deſideratus, ut opem ferret contra morbos, qui tunc pernicioſe graſſabantur, tum et alibi paſſim accerſitus; tot moleſtis itineribus curisque plurimum fatigatus, tandem ipſe incidit in *febrem*, quam dicimus, *catarrhalem malignam*, procul dubio ab aliis, eodem morbo conflictatis in ſe deriuatam; qua etiam, cum uix ultra quinque dies decubuiſſet, interiit. Talem euentum mature praeſagiens Vir optimus, ab initio ſtatim morbi ad ultima ſe comparauit, totumque DEO commiſit, uiaticumque *epuli ſanctiſſimi* ex uoto conſecutus, in conſideratione rerum coeleſtium perſeuerauit, donec circa tertiam horam matutinam d. v. Calend. Nouemb. placidiſſime obdormiſceret.

Eo maiori autem luctu bonorum omnium elatum eſt funus beati illius Viri, quo magis perſpecta fuit, praeter eruditionem ſolidam, officioſa eiusdem pietas, aliarumque uirtutum exercitatio. Nemo erat inter nos, qui non modeſtiam et ſedatum uitae genus ei in laude poſuerit; nemo, qui non ab ambitione et inſolentia alienum cognouerit. Nullum in ſaeculi inanitate tempus perdidit, et ſacra omnia rite coluit; reliquum uero Arti ſuae tribuit, nec in ea quicquam inexpertum reliquit. Nemini obtrectauit: Superiores coluit et obſeruauit; cum aequalibus concorditer uixit, et inferiores non ſpreuit, comiterque habuit quemuis, ſiue amicus ſiue inimicus ei eſſet. Vt denique ſummatim pronunciem: *Vir ſane fuit Medicus reuera gratioſus!*

* * *

SCRIPTA IO. LVDOV. APINI EDITA.

1. Aeolus, Microcoſmo commodans et incommodans, ſeu Disquiſitio Phyſio-Pathologica *de Flatibus*, Praeſide D. IAC. BRVNONE, 1687.
2. Diſputatio inauguralis de *Syncope*, 1690.
3. *Febris Epidemicae*, An. 1694. et 95. in Noricae ditionis oppido Hersbruccenſi, et uicino tractu graſſari deprehenſae, tandemque *Petechialis* redditae, *hiſtorica relatio*, in *Obſeruationum ſemi-centuriam* digeſta, praeuioque diſcurſu, morbi aetiologiam et curandi rationem nouam, eam uero expeditiſſimam complexo illuſtrata, Norimbergae, 1697. 8.
4. *Programma* de *Περιεργία Hippocratica*, magno, ad faciendos in Arte Medica progreſſus, impedimento, 1702. in fol.
5. *Diſſertationes quinque*, *de Principio uitali*, totidem diſputationibus in circulo Academico uentilatae, A. 1702. et 3. Has deinceps, iuxta cum deſignatis antea, *de flatibus*, et de *ſyncope*, tum et *Programmate*, et *Oratione inaugurali*, *de Temperamentis*, iunctim uno *faſciculo* edi curauit laudatus *Autoris filius*, Altorfi, 1718. in 8uo.
6. Collectanea de *Febribus*, praecipue *intermittentibus*; ex MSto Autoris deprompta, nuper A. 1726. adiecit *Scriptorum Stahlianorum* recenſioni, Vir experientiſſimus D. IO. CHRISTOPH. GOETZIVS, Medicus Norimbergenſis, olim auditor, nunc affinis mihi perquam charus et honorandus, qui etiam ſe effecturum beneuole promiſit, ut b. D. APINI *Obſeruationes Medico-Chimicae* propediem in publicam lucem prodirent.

IO. IA-

IO. IACOBVS BAIERVS.

Cum, poſt tam praeclaros mei Ordinis Viros, ad me tandem ſit peruentum, aliquandiu ſane dubitaui, *num, et quidnam, de memetipſo commentari debeam?* Verendum enim eſſe intelligo, ne, ſi quid laudabile ac glorioſum commemorauero, id philautiae et oſtentationi attribuant; quaedam uero minus honorifica, ſtudio praetermiſſa credant utentes cenſoria ſeueritate Lectores. Sed neque conſultum erat, alii cuiquam hoc negotium dare, ut meum uitae curriculum deſcriberet, idemq; ego heic inſererem. Poſſet enim æque facilis oriri ſuſpicio, quaſi uerbis alienis, abs me nihilominus ſuppeditata materia, de me praedicari ambitioſe inſtituiſſem. Nec denique honeſto uiro dignum uidebatur, qui omnium *Anteceſſorum* atque *Collegarum* ſuorum uitam, in exemplar uirtutis et imitationis poſteritati commendare ſuſceperat, penitus tacere de ſuo: Quid enim e tali praetermiſſione aliud coniicere liceret, quam uitæ parum laudabiliter geſtae conſcientiam? Quare malui expoſitam, rigidae quantumuis cenſurae, hiſtoriam fatorum actorumque meorum, quam ea ſilentio praeterire, quae luculenta diuinae benignitatis ac prouidentiæ ſpecimina, per totam uitam meam expertus ſum; et quousque iisdem recte aut ſecus ſe accommodauerit mea infirmitas. Hoc in propoſito, ſicuti DEVM reuereor omniſcium, ita cauendum etiam mihi eſſe ſentio, ne, cum in obſcuro nunquam uixerim, ullus inter tot homines, quibus perſpecta eſt omnis aut aliqua uitae meae ratio, me falſa narraſſe deprehendat, ſed ut palam conſtet, *quod mentiri non ſit meum!* Amplius autem me confirmarunt in eodem conatu, tot exempla eruditorum, tam alius quam meae Profeſſionis Virorum, qui nihil ueriti ſunt de uita ſua rebusque geſtis dicere teſtimonium. Nolo iam illud adducere, quod magnus HIPPOCRATES *in Oratione ad aram*, de ſe ſuaque familia, perinde ac id, quod filius ipſius THESSALVS, *in Oratione ad uiros Athenienſes*, eodem conſilio pronunciauit: Neque commemorabo, quam multa et uaria, licet ſparſim in operibus ſuis, de uita ſua GALENVS ediſſeruerit. HIERONYMVS uero CARDANVS quam prolixe com-

commentatus ſit *de uita propria*, notiſſimum eſt; tametſi non pauca, quae fidem ſuperant, et hiſtoriae minus conſentanea, ipſum retuliſſe appareat. Conſignauit etiam CAROLVS PATINVS ipſe uitam ſuam, et in publicum propoſuit, cum aliorum, quos tunc in *Lyceo Patauino* Collegas habebat, clariſſ. Virorum uitis. De MARQVARDO SLEGELIO, Profeſſore olim Medico Ienenſi, poſtea ciuitatis patriae Hamburgenſis Phyſico, ſimiliter compertum habetur, quod uitam ſuam diligenter a ſe conſcriptam poſteris reliquerit. Ne plures afferam, qui fecerunt idem, ſine ambitionis et jactantiae opprobrio.

Vt igitur ordine quodam de me referre incipiam, prima mihi contigit bene honeſteque naſcendi felicitas: Patriam quippe habui Muſarum in *Thuringia* inclytam ſedem, *Ienam*. Pater fuit IO. GVILIELMVS BAIERVS, *Norimbergenſis*, t. t. *Profeſſor Theologiae*, cuius nomen et memoria hodieque uiget in Eccleſia Chriſti, nec unquam facile obſolebit. Mater autem erat ANNA CATHARINA, filia IOH. MVSEI, celebris pariter Theologi, et ANNAE MARGARETHAE, ex antiqua et nobili FORSTERORVM, quae *Erfurti* floruit, ſtirpe prognata. His Parentibus in lucem hanc editus ſum anno ſaeculi ſuperioris LXXVII. die XIV. Iunii, ab iisdemque tanto maiori cum cura educatus, quanto maiori opus eſſe uidebatur in homuncione tenerioris ac infirmae ualetudinis, qua per infantiae ac primos aetatis puerilis annos, adeo tentatus fui, ut non ſolum Parentes, verum etiam peritiſſimi Medici, de longiore uita mea ſaepius deſperauerint; quae cauſa quoque fuit, quod paulo tardius bonarum literarum rudimenta ponere potuerim.

Placuit nihilominus omnipotenti DEO, hucusque uitam meam producere, quamuis inter opido frequentes imbecillitatis natiuae caſus; inter quos tamen nec rariora diuinae conſeruationis et gratiae ſingularis ſpecimina conſecutus, et abunde conuictus ſum, *quam recte perficiatur uirtus ſeu potentia Dei in infirmitate.* Non poſſum, quin prae caeteris commemorem, quid mihi, ualde puero acciderit, cum aliquando in ſuprema parte paternarum aedium, una cum Matre et alia ex uicinis Matrona, neſcio quae utenſilia conquiſituris uerſarer, ibi ex angulo

quodam

quodam prope ſcalas (quo quidem accedere arctius non poteram) obſeruaui ſubito, et clariſſime conſpexi porrectam erga me formoſam nitidamque manum, quaſi abblandientis pueri; quem ego latitantem fratrem inepte ſuſpicatus, mox prouocare eundem ſuſtinui, demonſtrans exerto digito, tam iucundum mihi ſpectaculum, matri & matronae alteri, ipſis omnino nihil cernentibus, eoque magis obſtupeſcentibus conſtantem meam uiſae rei affirmationem; cuius ſane idea et recordatio uegeta adeo et firma inhaeret animo meo, tanquam heri aut nudius tertius obtigiſſet. Haec eo confidentius enarro, quo ſanctius teſtari poſſum, me a natura parum ad phantaſiae abuſum et ſuperſtitionem propendere. Illud autem, quicquid tandem uiſionis exſtitit, non diffiteor, mihi ſaepiuſcule reminiſcendo in praeſentibus periculis ac rerum difficultatibus, animum erexiſſe ad opitulantis *diuinae manus* praeſidium certo ſperandum, quod ſane nunquam hactenus me deſeruit.

Ceterum iſtis infantiae primaeque pueritiae imbecillitatibus ſuperatis, progreſſu aetatis paulo melius me habere coepi, et pietatis Artiumque liberalium ſtudia exercere alacrius; diuerſorum praeceptorum domeſtica diſciplina uſus. Neque enim tutum uidebatur optimo Parenti, tenerae ualetudinis meae ſatis conſcio, me ad peregrinas Muſas dimittere, ſed in conſpectu ſuo amplius educare. Plurimum autem debeo inſtitutioni priuatae b. IO. LAVTERBACHII, *Scholae oppidanae Rectoris, et Philoſ. Facult. Adiuncti* meritiſſimi, cuius fidem et humanitatem etiamnunc grata mente recolo. Aliquale uero ſtudiis meis ſcholaſticis impedimentum atque taedium afferebatur, quod carerem commilitonibus, aequalia mecum tractantibus, et quod medicinalium rerum cognoſcendarum deſiderio, ſane praematuro ac praepoſtero tenerer; unde factum eſt, ut ſubinde temporis aliquid detraheretur iſtis oportunioribus ſtudiis; quam puerilem imprudentiam deinceps non ſemel indignatus ſum.

Animaduertens autem Pater iſtum uere naturalem apud me inſtinctum, ad amplectenda *medicinae ſtudia*, (neque enim a teneris unguiculis ad alia propenſiorem me unquam memini, tametſi uix ullis familiae noſtrae exemplis incitatus) permiſit tandem, ut inter ſtudioſos Academicos,

demicos, ſub finem A. XCIII. nomen meum recepto more profiterer. Ac primum quidem facile intellexi, quod in Medicum probum euaſurus, carere non poſſem *Philoſophiae* adminiculo ; Quare partes eius quasdam, praeſertim *Logicas exercitationes*, tractaui apud b. D. IOH. PHILIP. TREVNERVM; in *Phyſica* uero et *Matheſi* praeceptorem habui b. GEORG. ALBERT. HAMBERGERVM. Priuato autem ſtudio et ſingulari quodam impetu *ſpecialem Phyſicam*, quae *triplex* (communiter appellatum) *Naturae Regnum* complectitur, eo magis curioſe rimandam mihi propoſui, quo magis neceſſariam futuro medico rerum iſtarum, utpote τὴν ὕλην ἰατρικὴν praebentium, notitiam eſſe reputaui. Huius cauſſa me non poenituit uicinos agros, montes, ſyluas crebro perluſtrare ac perreptare; lapides, plantas, inſecta omnis generis indagare et colligere ; quorum multa in hunc usque diem aſſeruo, iucundam ſane iuuenilis induſtriae recordationem ſuggerentia. Neque per ſubſecutum tempus ab eiusdem *Phyſicae curioſitatis* continuatione, quae mihi tot ſuauiſſimas de *Summi Creatoris* ſapientia et bonitate meditationes atque demonſtrationes peperit, abſtrahere omnino me potui, ut aegre potius tulerim, frequentiores eius impeditiones a curis et negotiis grauioribus; quando praeſertim iam appropinquarunt *anni*, de quibus conqueri cogor, *non placent mihi!* Ceterum *Botanico* in ſtudio ductores *Ienae* ſum nactus D. IAC. VVOLFFIVM, *Extraordinarium*, et GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERVM, *Ordinarium Med. Profeſſorem*; illius quidem praematuro ad ſuperos abitu, huius ad *Academiam Kilonienſem* diſceſſu non parum turbatus ; praecipue amiſſo altero iſto, cuius etiam in *rebus anatomicis* inſtitutione perfrui mihi tantiſper licuerat, eo maiori cum uoluptate, quo magis in diſſecando corpore humano exquiſitam dexteritatem, et in ediſſerendis partium ſtructura et uſibus perfectam eloquentiam in uno SCHELHAMMERO demiratus eram. Reliquas Medicinae partes plerasque a celeberrimo D. VVOLFG. VVEDELIO ἰατρῷ πολλῶν ἀνταξίῳ ἄλλων, tam publicis quam priuatis ſcholis addidici; cuius Viri optimi, nuper coelitibus adſcripti, ſingularem in me amorem et amicitiam conſtantem, cum aliis ſpeciminibus, tum bene multis ad me datis literis extantem, cuilibet oſtendere, nunquam ſatis praedi-

care

care poſſum. Profeci quoque haud minimum per excellentiſſimi D. IO. HADR. SLEVOGTII ſolidam perſpicuamque doctrinam ; ſicut etiam e priuatis ſermonibus & colloquiis, queis me non raro dignabatur Vir longa peregrinatione, ac multo rerum uſu inſtructiſſimus D. RVD. VVILH. CRAVSIVS, *Ord. Med. Senior, et Profeſſor emeritus.* Mirum autem in modum alliciebat me priuata lectio autorum, qui *dogmata Carteſianae* et *corpuſcularis* (quae uulgo uocatur) *Philoſophiae*, nec non *Mechanica* ad Medicinae theoriam ſpecioſe applicant, cuiusmodi tunc raro perſonabant *cathedrae Ienenſes ;* ego uero in illis me inueniſſe, non quod pueri in faba exiſtimabam, et uidebar mihi iam factus eſſe in iſtis ſpeculationibus pulcher *ἀυτοδίδακτος*.

Interea accidit, ut b. Parens meus ad *primi Rectoris ac Primarii Theologiae Profeſſoris ſpartam, in Academia Fridericiana Halenſi* capeſſendam euocaretur, mihi autem eo proficiſci et *Inaugurationis* ſplendidiſſime, et apparatu plane regio peractae *ſolennia* ſpectare concederetur ; neque tamen ibi tunc manere, ſed in patriam reuerti, et inchoata ſtudia proſequi conſultum uidebatur. Vt uero ingenium, et qualescunque profectus etiam publice periclitarer, Philoſophicam cathedram bis conſcendi, fratre natu maiori, IO. GVILIELMO *Praeſide*, primum *Halae*, *de excidio Sodomae*, poſtmodum *Ienae*, *de tranſitu Iſraelitarum per mare rubrum*, utrinque phyſico argumento diſputaturus. Cum deinceps b. D. VVEDELIVS *exercitationes ſuas Pathologico-therapeuticas* uentilandas conſtituiſſet, unam ipſarummet *ſectionem* defendendam ſuſcepi ; paulo poſt autem, meo (quod dicitur) Marte elaboratam *diſſertationem de Ambra*, eodem moderante pariter publice propoſui ; quod ſpecimen optimus ille Vir, boni ominis plenus, inſigni gratulatione et appoſito epigrammate ultro condecorauit.

Exacto ita *Ienae* quadriennio, *Halam* me contuli, et eruditionis meae amplificatores ibidem inueni atque colui Viros excellentiſſimos, Dn. FRID. HOFFMANNVM, et Dn. GEORG. ERNEST. STAHLIVM ; quorum ſingularem erga me beneuolentiam et humanitatem grata cuſtodio memoria ; Nec ſine magno uoluptate recordor, quam utiliter

utiliter iſtorum et aliorum eiusdem loci clariſſ. Virorum conſuetudine gauiſus ſim, et quam beate in uniuerſum eo tempore uixerim, nullius rei, praeter ſalutem meam, ſolicitudine implicatus, liber quoque, per diuinam gratiam, a multis libidinibus ac uanitatibus, ad quas procliuis eſſe ſolet adoleſcentia; ut profecto uix unquam magis ordinatim DEO et Muſis meis, quam tunc, in libertate iſta mea uacauerim. Sed ne aliis otioſe ibi uiderer commorari, *diſputationibus publicis*, quemadmodum antehac *Ienae*, ſaepius *opponendo* interfui, et Exercitationem *de neceſſaria ſaliuae inſpectione*, *ſub praeſidio Hoffmanniano*, publice *reſpondendo* defendi.

Quoniam uero ſingulari deſiderio tenebar, alias regiones curioſe perluſtrandi, non contentus fui, quod uicinas *Academias* iam ante inuiſerim, et *Lipſiae* BOHNIVM, RIVINVM, PETERMANNVM, aliosque tam Medicinae, quam aliarum Facultatum Profeſſores inclytos, *Erfurti* CHRISTOPH. PETRI AB HARTENFELS, et EYSELIVM, Helmſtadii SCHRADERVM, pluresque alios eruditione et fama pollentes Viros haud oſcitanter conuenerim, et e ſingulorum doctis ſermonibus profecerim. Iena igitur, ineunte uere A. XCIX. *Hamburgum* profectus ſum, obſeruatis in tranſitu *ſalinis Luneburgenſibus*, ſane totius Germaniae praeſtantiſſimis, ſiue candor, ſiue acrimonia, ſiue copia denique ſalis ſpectetur. *Hamburgi* autem, perſonis rebusque uariis, pro curioſitate et utilitate mea conſideratis, *Lubecam* perrexi; quae ciuitas, cum propter aequiſſimam Politiae rationem, tum propter honorem, qui literatis hominibus, ſuo cuique merito habetur, maximopere mihi placuit: Et ſane parum abfuit, quin eam mihi ſedem conſtituiſſem, niſi iuuenilis ardor ad itinera longinquiora obſtitiſſet. Detinuit uero me aliquandiu ſingularis humanitas doctiſſimorum Medicorum, HANNECKENII Patris, STOLTERFOHTI, BACKMEISTERI, LIPSDORPII, et quos Ienae commilitones habueram, BORGHELII, BRASCHIIque, quorum omnium ſane periucunda eſt mihi memoria. Excurrebam autem hinc opportune in Holſatiam, cumprimis *Academiam Kilonienſem*, atque diuerti ad auunculum meum IO. SEBAST. MVSAEVM,

Phar-

Pharmacopoeum egregium. Hic denuo mihi licuit praeſentem colere ſuauiſſimum D. SCHELHAMMERVM meum, et eodem comite beneuolo diuitiis *Florae Holſaticae*, tum et *lapidum figuratorum*, quos littora illius loci ſuppeditant, collectione delectari; ad quam uoluptatem percipiendam pari facilitate mihi commodauit *Excell. D.* VVILH. HVLDER. VVALDSCHMIDIVS, qui Soceri etiam ſui, IO. DAN. MAIORIS, *Muſéum*, omni rerum naturalium tum et antiquitatum copia inſtructiſſimum, accurate perluſtrandum mihi conceſſit. Perueneram quoque in aliorum iſtius Academiae clariſſimorum Profeſſorum familiaritatem; quo nomine praeſertim ueneror pios manes D. SAM. REYHERI, *Iur. et Mathem. Profeſſoris* celeberrimi, cuius humaniſſima *rerum mechanicarum* praecipue, et *opticarum* demonſtratione oblectatus, nec ſine jucunditate poſtea ſaepe recordatus ſum, quam ingenue ac ſpecioſe bonus ille Vir expoſuerit mihi conſilia ſua, *de Calendariorum correctione et conciliatione*; quae, ſi communi *Ordinum Imperii German.* conſenſu excepta fuiſſent, fortaſſe difficultatibus quibusdam, quibus negotium iſtud adhuc eſt implicatum, mederi potuiſſent.

Kilonio relicto pergebam Slesuicum, praecipuam *Duc. Holſatiæ* urbem, ad quam *Technophyſiotamei et Bibliothecæ* fama me alliciebat. Deſiderio uidendi utrumque opus ſplendidiſſimum, abunde ſatisfecit Praefectus eiusdem, Vir ſane χαριέςατος, D. NICOLAVS PECHLINVS, qui coram inſpiciendum beneuole offerebat, quicquid in illius theſauri luculenta deſcriptione, ab ADAMO OLEARIO edita, pridem legeram, et aliquando contueri optaueram. Hinc pedem promouere placuit Occidentem uerſus, ad oras *Cimbriae*, quas alluit *Oceanus Germanicus*; in quo tractu inuiſebam *Fridrichſtadium*, recentis originis oppidum, a *Belgis*, patria (nouatae religionis cauſa) profugis extructum. Ibi uelut in compendio *Belgicam*, circa aedificia et plateas *munditiem*, ac diuerſorum *Sacrorum* tolerantiam, cernere licebat, et praeter *Arminianorum*, *Mennoniſtarum* etiam et *Quackerorum* (quos uocant) religioſos coetus obſeruare. *Toenningam*, elegantiſſimum tunc propugnaculum, iam plane deſtructum, ingreſſus; inde haud procul diſſitam in-

ſulam *Heiligeland* (propter ſingularia naturae phaenomena celebratam) petere uehementer cupiebam; ſed continuo aduerſus per dies pluſculos uentus impediebat, quo minus uoti compos redderer. Interea ad extremum litus exſpatiabar, ac ſecedente pelago longius incedens admirabar immenſam illam *conchyliorum* uariorum multitudinem, qua fundum arenoſum, ueluti pauimento quodam uerſicolore adeo contectum apparebat, ut pedem reponere uix liceret, quin aliquot illorum confringerentur.

Admonebat autem tempus, ut *Lubecam* repeterem, et alio dirigerem curſum meum, ad *Belgas* praecipue tranſiturus. Nolebam uero praetermittere occaſionem, uicinas *Roſtochienſes Muſas* ſalutandi. Quare per *VVismariam*, *Suerinum*, aliaque oppida profectus, ad ipſas perueniebam, et inprimis gaudebam humanitate magni nominis Theologi, D. FECHTII, tum et doctrina et morum elegantia ornatiſſimi Profeſſoris Medici D. SCHAPERI. *Lubecam* denuo reuerſum ex improuiſo me conueniebat quidam, in Academia Ienenſi commilito, in patriam ſuam rediturus, *Rigam Livonum*. Is non deſtitit me obteſtari, ut comitem maritimi itineris me ſibi praeberem; quod ſine dubio in iſtis regionibus et res et viros inuenturus ſim, quorum cognitio fructuoſa et iucunda mihi foret. Tametſi igitur aliquantiſper dubitaſſem, uicit tamen tandem ea facilitas mihi ſolita, gratificandi amico; cui pondus adiecit haud exiguum, *curioſitas experiundi nauigationem*. Haec ab initio feliciter procedere uidebatur, tertio tamen die, propter uentum minus ſecundum incommodior facta, in ſeptimum usque diem nos detinuit in alto mari, ac prohibuit aditu ad portum, interea haud minimo tempeſtatis maritimae periculo expoſitos, tanto magis tunc demum conſolatos, cum in uado nos eſſe ſentiremus, quod euenit d. VII. Septembris anni, quem ſupra dixi, XCIX.

Rigam ingreſſus, id inprimis agebam, ut et loci et regionis conditionem, tam phyſicam quam politicam perſcrutarer, atque cum viris eruditis amicitiam contraherem. Inueni autem inprimis mihi fauentem D. DAVIDEM MARTINI, Primarium illius Reipublicae Medicum, tam in hiſtoria naturali, quam in Medicina probe uerſatum Virum; tum et D.

et D. DAVIDEM KRIEG, patria Miſnicum, iam antehac adſcriptum *Regiae Societati Londinenſi*, cuius etiam auctoritate et ſumtu is *colonias in America Britannicas* inuiſerat, eximiis naturae ſpeciminibus ac ſpoliis conquiſitis inde reuerſus, propterea que IACOBO PETIVER, tum et ipſi Botanicorum principi, IO. RAIO, publicis ſcriptis laudatus, ob illatas *Europae* nouas plantarum ſpecies, aliasque res naturales, quarum nonnullas ipſe mecum beneuole communicauit. Humaniſſima Virorum iſtorum conſuetudo facile me inducebat, ut longius ibi, *uelut apud Lotophagos*, haerere uoluerim. Cupiebam interim uidere propinquam *Pernauienſem Academiam*, haud ita pridem *Dorpato* translatam; cuius equidem infrequentia parum, inſigni autem humanitate Profeſſorum tanto magis oblectabar, cum praecipue unum alterumque deprehenderem inter Theologos, olim b. Parentis mei diſcipulum. Vnicus vero, qui tunc Medicinam cum Philoſophia naturali profitebatur, D. LAVRENTIVS BRAVN, de aliquibus iſtarum regionum et *Sueciae* rebus foſſilibus certiorem me reddidit.

Cum *Rigam* repetiiſſem, et appropinquante iam hyeme in vernum usque tempus ibidem ſubſiſtere, ſuadentibus amicis decreuiſſem, repentinus et uagus, at minime uanus rumor, hoſtilis irruptionis, maturandam mihi fugam perſuadebat, tempeſtiuo ſane conſilio; paucis enim a diſceſſu meo diebus euenit, ut uicina *Rigae* loca bello inuaderentur. Accidit mihi tunc παϱαδοξόν τι, ualde moleſtum, ut in iſto itinere, et liber, et ſanus, et cupiens, intereſſe nullibi potuerim, apud homines utique religioni meae addictos, celebrationi *feriarum Natiuitatis Chriſti*: Quandoquidem cum ualedixiſſem Rigenſibus, penes hos, utpote *ſtylo ueteri* uſos, nondum inchoatae erant iſtae feriae, quas, cum primum *Mitauiam Curlandiae* ueniſſemus, peractas iam comperiebamus; quod in hac et reliquis *Polonici Regni* prouinciis *ſtylo nouo*, ſeu *Gregoriano Calendario* utantur. Vecti autem ſumus, ſupra niues et congelatas aquas, *traharum* commoditate, ſatis uelociter, et intra paucos dies, ſuperato utroque *Sinu*, *Curonico*, et *Codano*, longinquum alias iter, *Dantiſcum* usque confecimus.

In iſta quaſi media uia ſubſtitimus aliquantiſper *Regiomonti*, in qua amoeniſſima Muſarum ſede, cum alios Doctores, tum ſeorſim D. PHIL. IAC. HARTMANNVM, *Med. et Hiſtor. Prof.* ſalutaui, et apud ipſum uidi inprimis *exquiſitum apparatum ſuccini*, et rerum ad eius hiſtoriam pertinentium, quam idem Vir doctiſſimus gemino tractatu complexus eſt. Et mihi quidem ualde dolebat, quod intempeſta hyeme prohiberer aditu ad uicina loca, ubi *ſuccinum*, tam e uenis ſuis effodiendo, quam piſcando e mari colligitur: acquieſcere tamen debui comparatis, aut prece aut pretio, *ſuccini ſpeciminibus*, quorum aliqua incluſis diuerſi generis inſectis conſpicua ſunt. In *Bibliotheca publica*, praeter alias res notatu dignas, conſpexi reliquias cultri iſtius, quem olim uir ruſticus improuide deuorauerat, at deinceps Chirurgiae artificio extractum e uentre reddiderat; quem caſum GEORG. LOTHVS et DANIEL BECKERVS diſtinctis opuſculis deſcripſerunt. *Dantiſci* aedificiorum elegantia, Politiae laudabilis inſtitutio, et incolarum humanitas plurimum mihi placebant, ut per dies pluſculos ibidem commoratus eſſem, niſi illorum, quibus comitem itineris me addixeram, importuna feſtinatio me abſtraxiſſet. Fruebar interea benigno alloquio illuſtris Viri D. IOACHIMI HOPPII, *Senatoris Reip. Primarii, et* SAMVELIS SCHELGVIGII, *Theologiae Profeſſoris, Eccleſiae Antiſtitis, et Gymnaſii Rectoris*, non ſine ſingularis beneuolentiae ſignis ab utroque dimiſſus.

Gedano igitur per *Pomeraniam* profecti ſumus in *Marchiam Brandenburgenſem*, tardo ac perquam moleſto itinere, *Berolinum* tandem peruenimus. Ibi iam, etſi nondum adſcito Regis charactere, *Potentiſſimi* ELECTORIS *Aula*, regali omnino magnificentia ſplendeſcebat; nec ſatis laudari poterat miniſtrorum aulae facilitas in admittendis honeſtis aduenis, ad perluſtranda (gratis etiam) quaelibet uiſu digna. Maxime uero me attentum tenebat *Bibliotheca* ſtupendae amplitudinis, quam aeſtimare aliquo modo licet ex unico illo maioris formae iuſto uolumine, (*Pandectarum Brandenburg.* titulo) quo D. HENDREICH, t. t. Praefectus, inſtituit recenſionem Auctorum, nec tamen alios complectitur, quam quorum nomina a literis A. et B. incipiunt. Demiratus

ſeorſim

ſeorſim ſum *Typographiae Sinenſis*, *tum et librorum huius idiomatis apparatum.* Nec minus admiranda intueri licebat in *Electorali Technophyſiotameio*, cuius haud exiguam partem conſtituebat rerum e *Succino*, incredibili arte et induſtria concinnatarum uarietas et multitudo : *Theſaurus* porro *Antiquitatum* omnis generis, *Nummorum*, *Statuarum*, *Vaſorum*, *Gemmarum*, cui praepoſitus erat Vir humaniſſimus, LAVRENT. BEGERVS, una cum *Palatino theſauro*, per teſtamentum quaſi huc translatus, mirifice augebat admirationem. Inter alios autem Viros eruditos claroſque, conueni *uenerabilem Theologum* D. PHIL. IAC. SPENERVM, ueterem b. Parentis mei amicum, et D. BERN. ALBINVM, *Archiatrum* excellentiſſimum, qui haud obſcure ſignificabat, aegre ſe ferre auocationem a *Muſis Viadrinis* ad turbas Aulae, inter quas, cum nuper etiam non leuiter offenſum ſe conquereretur, fore praedicebat, ut eximere ſe, et ad priſtinam, magis acceptam uitae rationem recipere poſſet; quod nec multo poſt euenit, quando *Lugduni Batauorum* primarius Medicinae Profeſſor conſtitutus eſt. Optimum ſenem D. CHRIST. MENZELIVM, propter celebritatem nominis, et inſignia in rem herbariam medicamque merita, magnopere quidem geſtiebam uidere; ſed is diuturno morbo plurimum attritus, et ſemianimus quaſi decumbebat. Filius autem D. IO. CHRISTIANVS, *Aulae Electoral.* Medicus, leniebat quodammodo iſtud meum deſiderium, et comiter oſtendebat, cum ab ipſomet, tum a Parente collecta exoticarum rerum naturalium, et materiae medicae rariora ſpecimina. Inter haec erat quoque tunc plane nouus in *Europa* fructus, *Fabae S. Ignatii* nomine, et febrifuga uirtute celebratus, quem ego primo ſtatim intuitu affinem *Nuci uomicae* uulgari exiſtimabam, non prius aſſentiente Poſſeſſore, quam, ubi rogatus a me, contuliſſet accuratius utrumque fructum.

Berolino VVittebergam profectus, in hac perantiqua Muſarum ſede cumprimis adii D. IO. GODOFR. BERGERVM, *Med. Prof. Prim.* et *Acad.* t. t. *tertium Rectorem Magnificum*; apud quem primum inſpiciebam GVIL. COVVPERI *Anatomicum opus*, in *Anglia* nuper diuulgatum, modeſte ſignificans, uideri mihi *tabulas aeneas*,

 magnam

magnam partem a BIDLOO mutuatas eſſe; in qua etiam opinione ſtatim confirmati ſumus, facta utriusque operis collatione. Idem Vir excellentiſſimus oſtendebat *calculos*, tam figura quam numero admirandos, in *cyſtide fellea* et *ueſica urinaria* uenerandi Soceri ſui, et illuſtris ICti, D. ZIEGLERI, poſt mortem repertos. Diuerti etiam ad *Venerabilem Academiae Seniorem*, GEORG. CASP. KIRCHMAIERVM, qui pro ſua ſingulari comitate, et in rebus naturalibus ſcientia, de non paucis huius generis obſeruationibus certiorem me reddidit. Inde *Halam* transiens, in *patriam* incolumis reuerſus ſum.

Hic non defuerunt inter amicos et cognatos, qui ſerio admonerent, ut tandem capeſſerem *ſtudiorum Academicorum publica teſtimonia praemiaque.* Tametſi autem ego maluiſſem paulo amplius id differre, et induſtria per *ſeptennium* integrum continuata, me aptiorem reddere; uicit tamen iſta cohortatio, ipſorummet *Praeceptorum* nutu accedente. Quapropter nomen meum inter *Candidatos Medicinae* profeſſus, et ad ſuſtinendas probationes conſuetas admiſſus, nemine refragante, ad *inauguralem Diſputationem*, *de Capillis*, publice habendam me accinxi, commodante officium ſuum, loco Praeſidis, laudato D. SLEVOGTIO; qui de cathedra me deſcendentem adeo honorifico excepit teſtimonio, ut idem hic referre modeſtia mea prohibeat. Antequam iſta peragerentur, in mentem mihi uenit, ut *Philoſophici* qualiscunque *ſtudii* mei praemium quoddam repeterem ab iis, per quos profeceram. In hoc propoſito fauentem mihi *Ampliſſimum Ordinem Philoſophorum* expertus ita ſum, ut de meis profectibus bene ſperantes, neutiquam exigerent omnia iſta ſpecimina, quae alias a *Philoſophiae Candidatis* requiri ſolent; quin etiam extra ordinem me crearent *Magiſtrum*, interprete quidem et *Brabeuta*, GEORG. ALB. HAMBERGERO, *Facultatis* autem *Decano*, IO. IAC. MVLLERO; quod factum eſt d. 22. Martii, eiusdem anni.

Cum uero deinceps reliqua omnia, quae ad conſequendam, *in Medica Facultate*, *Lauream Doctorum* pertinent, rite confeciſſem, iteratam inſtitui profectionem ad *loca inferioris Saxoniae*, *metallorum*

aliorum-

aliorumque mineralium prouentu illuſtria, *Clausthalium* nempe, *Zellerfeldam* et *Goſelariam*, ciuitatem liberam Imperii; confirmaturus eam rerum iſtarum notitiam, quam antea non ſatis accurate aſſecutus mihi uidebar. Et in *monte* quidem, *Rammelio* dicto, *Goſelariae* uicino, magna cum uoluptate in ipſa terrae uiſcera, ultra centum orgyiarum altitudinem deſcendendo, deprehendi omne propemodum genus *chalcanthi*, *natiuum* etiam, *uiride*, *coeruleum* et *album*; ſicut et iſta olim tantopere a DIOSCORIDE, PLINIO, GALENO laudata foſſilia cognata, *chalcitidem*, *Sory* ac *Miſy*; quae aut penitus conficta, aut non amplius reperiunda, recentiores Medici complures arbitrati ſunt. Taceo *Sulphuris* copiam, ibidem e mineris ſuis prouenientem, illiusque partim *puriſſimi*, ut cum ipſis *floribus*, artificio chimiae paratis, comparari queat. Mitto quoque alia ibidem occurrentia foſſilia, tum et *metallorum recrementa*; inter quae praeſertim eminet illud, quod e uetuſtis ſcoriarum aceruis colligitur, ac tingendo aeri, loco *cadmiae foſſilis*, ſeu *lapidis calaminaris* aptiſſimum eſt: Vt ego quidem perſuaſum habeam, non facile inuentum iri locum, anguſtis adeo limitibus circumſcriptum, qui plura ſimul exhibeat utilia rerum foſſilium genera. De *ſuperioris*, (quam uocant) *Hercyniae fodinis*, argento et plumbo abundantibus, nil attinet dicere; niſi quod gratus commemorem, tantarum diuitiarum aliquam particulam conſeruaſſe mihi hactenus DEVM T. O. M. pro commodiori familiae ſuſtentatione. Caeterum propinquas urbes quasdam, nempe *Brunſuigam* et *Guelferbytum*, huiusque ſeorſim *Auguſtam Bibliothecam* perluſtraui, atque *Helmeſtadii* ſalutatis iterum Viris aliquot Academiam iſtam ornantibus, nominatim uero ſumme uenerandis D. D. FABRICIO et SCHMIDIO, affine meo, hinc *Magdeburgum* contendens, uiſis et ibi rebus notabilibus, eo quo ueneram redii.

Habita de meis ſtudiis, ad certum ſcopum dirigendis deliberatione, cum non appareret opportunitas commodandi patriae, cui etiam nullis ſtipendiis aliisue priuatis beneficiis obſtrictus eram; denuo in *Almam Fridericianam* me contuli, fortunam in Medicina facienda periclitaturus, uel etiam docendo priuatim me exercitaturus. Neque ſucceſſu caruit

propo-

propoſitum illud, quando non paucae curationes aegrotantium uariae conditionis feliciter euenerunt, atque *ſpectatiſſimus Facult. Med. t. t. Decanus*, D. FRID. HOFFMANNVS, pro ſua in me beneuolentia obtulit nonnullos Medicinae Studioſos, in aliquibus artis partibus ſecreto inſtituendos. Interea, cum Ienae ſolennis fieret *Honorum* in noſtra Facultate *Doctoralium* diſtributio, eorundem et ego, (licet abſens) factus ſum particeps, *Doctorque* renunciatus d. IX. Septemb. *Brabeuta* D. SLEVOGTIO.

Subinde uero flagrabam occulto deſiderio longius proficiſcendi; quod ubi aperuiſſem *Illuſtri ICto* D. SAM. STRYKIO, ſingulari et magno b. Parentis mei amico, is non ſolum probauit conſilium, ſed et effecturum ſe promiſit, ut proximo uere, alienis ſumtibus, in comitatu ſcilicet illuſtriſſimae perſonae cuiusdam, longe lateque peregrinari poſſem. Hac ſpe obtentatus ego, auide expectabam praefinitum tempus. Ex improuiſo autem accidit, ut *Proauunculus* meus, quem et *e ſacro fonte ſuſceptorem* habueram, *Perilluſtris Dn.* IAC. VVILH. DE FORSTER, *Eques Francus, et Conſiliarius intimus Onoldo-Brandenburg.* me per literas exhortaretur, ut (quoniam a multis iam annis me non uidiſſet) iter ad ipſum inſtituerem; futurum enim fortaſſe ſignificabat, ut in *Academia Altorfina*, uacante tunc b. MAVR. HOFFMANNI loco, ſtationem inuenirem. Admonito tanti Viri, Parentis inſtar colendi, obſecuturus, in uiam me dedi, atque ſub initium anni, in hoc ſaeculo primi, *Norimbergam* perueni; quamuis aeger admodum, acuta ſcilicet febre correptus, quod pro omine neutiquam bono habendum uidebatur. Recuperata autem, diuino auxilio, ualetudine citius ac ſperaueram, tentare coepi, quatenus aſpirare poſſem, ut nanciſcerer illam ſpartam, mihi certe prae cunctis aliis uitae rationibus optabilem et expetendam: Et illos quidem, in quorum poteſtate ſitum erat iſtud negotium, non alienos a me recipiendo ſentiebam. Erat autem ex alia quadam parte clam propoſita et connexa conditio, ad quam ſimul amplectendam, cum neſcirem, uel etiam nollem me accommodare, interpoſita ſic mora, ſenſim abſtraxi animum ab iſto deſiderio, totamque rem tunc temporis

poris neglexi, fatis relinquens, utrum alia occaſione uoti compotem me uellent reddere. Et ſane non multo poſt abunde cognoui, ſic eueniſſe omnia in meliorem exiſtimationis & fortunae meae ſtabilitatem.

Interea cum *Norimbergae* agerem, magis ac magis mihi placuit ampliſſimae urbis elegantia, et cumprimis *Inclyti Medicorum Collegii honeſtiſſima ſpecies*, atque tam praeſentium tunc in illo praeſtantiſſimorum Virorum, quam complurium, qui olim in eodem floruerunt, dignitas atque celebritas, ut talibus conſociari Viris uehementer concupiſcerem. Quo in propoſito me plurimum ſubleuauit gratia ſingularis *Illuſtrium* t. t. *Praeſidum Collegii* DN. IODOCI VVILH. EBNERI, et DN. IAC. VVILIBALDI HALLERI, *Conſularium Reip. Nor. Graviſſimorum*; quorum auctoritate nixus facile ſuperaui qualescunque difficultates, mihi (ut fieri ſolet) tanquam peregrino, allatas, et ineptam cumprimis depuli quorundam poſtulationem, ut prius (neſcio cuius perfectionis maioris cauſa) *Italiam* peterem; quaſi hinc potiſſimum accerſenda ſit *Germanis* ſapientia et medendi peritia? Receptus itaque ſum d. XVIII. Martii, *Decano* b. D. GEORG. ABRAH. MECKLINO Patre, humaniſſimo, et multorum in rem medicam meritorum laude, tum et ſcriptorum editorum fama conſpicuo Viro. Ab eo tempore ſingulorum *Collegarum* fauorem et amicitiam mihi conciliare haud fruſtra ſtudui, et ſubinde in periculoſioribus morborum curationibus unum alterumue ex Senioribus ad conſilium inuitaui, eoque magis inde conatus ſum proficere, quo magis diuerſam huius regionis, a patria mea rationem, in adminiſtranda Medicina, perſpiciebam.

Cum uero etiam animaduerterem, quod iſta in urbe frequens uerſaretur praeiudicium, ad muliercularum et infantum affectus ſanandos multo aptiorem eſſe Medicum, in matrimonio, quam in caelibatu uiuentem: illorum uero generum felices curationes praecipuum Artifici parare applauſum; uxorem propterea feſtinanter duxi, Virginem, IO. CASP. BACHMAIERI, *Duc. VVurtemberg. VVeilting.* t. t. *Conſiliarii et Secretarii*, et BARBARAE SABINAE, *natae* HERPFERIAE, filiam; cum qua in XIX. usque annum concors et communi ſorte con-

X tentus

tentus uixi, atque ex eadem octo ſuſcepi liberos, partim *Norimbergae*, partim hic *Altorfii*, quorum quatuor infantes iterum deceſſerunt: Ex reliquis autem filia natu maior, SVSANNA MARIA, in matrimonium collocata eſt M. SIGISM. IAC. APINO, *Philoſ. Profeſſori P. in Auditorio Nor. Aegid.* unde duos nepotes iam uidi. Altera filia, ANNA CATHARINA, uirgo adhuc, partem curarum ſuſtinet familiaris rei. Primus filiorum, FERDINANDVS IACOBVS, in quintum iam annum A. A. L. L. et Medicinae alumnus, ad metam ſtudiorum contendere nunc incipit. De altero, quid ſcribam, aut non ſcribam, haeſito. Quod ipſum omni, qua decet patrem, prudentia, nullis curis ſumtibusque parcendo, *in diſciplina et correctione Domini* educauerim, DEVM teſtor meamque conſcientiam; prohibere tamen non potui, quin praepoſtero animi impetu incitatus, uidendi regiones a patria quam longiſſime diſtantes, nolente omnino ac neſciente me, aufugeret; incertum hactenus, ubinam gentium aut terrarum nunc uerſetur.

Sed ut a domeſticis rebus illis ad medendi munus meum reuertar, hoc ſane diuinis auſpiciis ſuſceptum, eos habuit progreſſus, quales fortaſſe non multi iuniores Medici ibidem experti ſunt; quandoquidem breui non ex plebeiis tantum, ſed et honoratiorum Ciuium Ordinibus, et Nobilium familiis, ſubinde nactus ſum curandos aegrotos, ſecunda fortuna. Cum interim anno huius ſaeculi tertio, uicinae Prouinciae periculoſo arderent bello, atque in militia, propter intempeſtiuas expeditiones, multi uariique morbi orirentur; *Praepotentium* CIRCVLI FRANCONICI ORDINVM *Legati*, t. t. Norimbergae congregati, Medicum deſiderarunt, qui tam morboſis, quam uulneratis militibus opem ferret in *Noſocomiis*, ad pagum *VVendelſtein* (*) aliosque propinquos, conſtitutis. Quam ob rem cum haberetur quaeſtio in conſeſſu *Collegii noſtri*, et omnes, qui ante me (eram autem tunc pene ultimus) rogabantur, *ceperint ſimul excuſare*, unius ſaltem diei ſpatium mihi deprecatus ad deliberandum, deinceps proptam uoluntatem meam, inſeruiendi commodo et ſaluti hominum miſerorum, pro patria militantium, denunciaui.

(*) quae patria fuit IO. COCHLAEI, famoſi olim Theologi.

nunciaui. Nec mora, quin ſtatim plenis apportarentur plauſtris aegrotantes atque ſaucii, ea quidem frequentia, ut poſt alterum menſem numerare potuerim ultra quadringentos, uix connumeratis illis, qui ex aduerſa *Bauarorum* parte captiui erant adducti, quorum quidem neceſſitati, aeque ac noſtratium, fideliter proſpiciebam. Longum foret deſcribere, quanta pericula, quantasque moleſtias, illud officium mihi creauerit, alacri nihilominus, et in auxilium diuinum plane confiſo, cuius etiam beneficio factum eſt, ut pauci aegrotantium perierint, plurimi ſoſpites euaſerint, reliqui nondum perfecte ſanati, exercitum ſequi potuerint.

Ego interea tam optato rerum ſucceſſu laetatus, et in experientia medica non parum confirmatus, tum et propter operam impenſam honeſte remuneratus, omni adeo ex parte beatus de iſta ſtatione deceſſiſſem, niſi ad extremum a *Chirurgo* (qui et ipſe *Noſodochio* famulabatur) *pleuritico* infectus, eiusdem in pectore lateris dolorem, malumque ſonticum mihi contraxiſſem, quo tanto grauius laboraui, quanto debilius a pueritia pectus habui. Et quamuis mature adhibita remedia diſcuſſiſſe uiderentur inflammatum et congeſtum ad pleuram ſanguinem, remanſit tamen ſicca tuſſis cum reſpiratione difficili et calore praeter naturam, ſaepius inuadente; ut non perperam *phthiſin* aut *hecticam febrem* ſecuturam metuerem. Memor itaque ſententiae CELSI: *peſſimum aegro coelum eſſe, quod aegrum fecit;* Norimbergenſis aeris, quam tunc ſentiebam, ſiccioris incommoditatem deuitaturus, tantiſper *Raisbonam* ſeceſſi, non ſine notabili ualetudinis emolumento.

Hac occaſione in notitiam perueni aliquot inſignium iſtius *Reip. Procerum*, ſeorſim *illuſtris* DN. IO. IAC. A BERG, *Conſulis ac Senatoris primarii*, quem et affinitatis nomine colebam. Is aliique boni Viri perſuadebant, ut quoniam praecipuus Medicus Ciuitatis, D. GEORG. CHRISTOPH. GOELLERVS, diem nuper obiiſſet, magnaque pars hominum, eius conſiliis uſi, alium ſibi nondum elegiſſent, ego me ad hanc ſpartam occupandam applicarem, praeſertim cum credibile non ſit, quod *Norimbergae*, in tanta *Veteranorum Practicorum* copia et celebri-

 tate,

tate, *magnus* unquam ſim euaſurus *Apollo.* Accedebat EXCELLENTISSIMORVM quorundam *ad Comitia Imperii* LEGATORVM conſimilis ſententia, tum et aliorum hominum haud obſcure mihi ſignificatum deſiderium. Rebus itaque meis *Norimbergae* diſpoſitis, et tam *ciuitatis iure*, quam *loco in Medicorum Collegio* mihi reſeruatis, praeſcitu SVPERIORVM, profectus iterum ſum *Ratisbonam*, tentaturus ſcilicet, utra Ciuitas in Medicina facienda mihi foret commodior et fructuoſior? Eo ipſo autem die, quo rurſus adueniebam, paucis horis ante, Bauarii milites totam occupauerant urbem, cum prius unicam Danubialem portam tenuiſſent. Inde cum perturbatos Patronorum amicorumque meorum animos ſentirem, parum abfuit, quin reditum paraſſem illico, ipſe nimirum, malo quaſi omine, rerumque futurarum metu perterritus. Aſt ubi tantiſper me collegi, et alios quoque in meliorem ſpem erectos uidi, manendum eo magis ſtatuebam, quo minus de ſola perſona mea timendum mihi putabam; cum auſpicato ſane familiam meam et utenſilia Norimbergae reliquiſſem.

Breui autem tempore *incolarum* omnis Ordinis, ipſorumque *Praeſidiariorum* beneuolentiam erga me adeo expertus ſum, ut de *Praxi* copioſa et uberi non amplius dubitarem. Animum addebat *Illuſtris Prudentiſſimique* SENATVS, depraedicanda mihi benignitas, qua *in tutelam ſuam, ſine omnibus impenſis, ac ſine omni tributo unquam exigendo, me recepit*, praetereaque permiſit, ut cereuiſiam, quae ſalubrior mihi uideretur, ex *coenobiis* peterem, quod ipſis ciuibus negatum erat. In tali rerum proſperitate aliquot menſes abierunt, cum ex improuiſo triſtes afferrent nuncii praematurum b. D. APINI ex hac uita diſceſſum, quem tanto uehementius dolebam, quanto magis inter nos uigebat ſincerus amor mutuus; cum etiam bene meminerim, quoties beatus ille Vir me ſibi Collegam optauerit. Paucis diebus interiectis, accipiebam literas, ab *Ampliſſimo Viro* GEORG. ARN. BVRGERO, *Reip. Norimb. Primicerio*, ſingulari amico meo; cuius nunquam obliuiſci poſſum; in quibus indicabat, *Prouidentiſſimos Acad. Altorf.* CVRATORES decreuiſſe, uacuum in Medica Facultate locum

ocyus

ocyus ſupplere, habita gratioſa mei conſideratione: opportunum igitur nunc eſſe, ut ſi quando recipiendi uoluntas mihi ſit, declararem ipſam, et officia mea offerrem, ſine mora ſcriptis ſupplicibus literis. Feci hoc, et ſimul rem iſtam per alias literas commendaui *Magnifico Vniuerſitatis t. t. Procancellario*, DN. CHRISTOPH. PELLERO, Viro non minus autoritate quam aetate grauiſſimo, mihique propter ſummam beneuolentiam, qua me complexus eſt, etiam nunc poſt fata uenerando. Altera ſtatim hebdomade, reſponſi loco ipſam obtinui *uocationem*, quam ea, qua par erat, obſeruantia, diuinoque fretus auxilio ſuſcepi. Non leuis autem obſeruabatur difficultas, quo modo me ſubducerem? ne, quod *Norimbergam* rediturus ſim, reſciſcerent *Praeſidiarii*, ſine dubio me non dimiſſuri. Cogebar igitur iter fingere ad Nobilem quendam aegrotum, aliquot milliaribus ab urbe habitantem; ſub quo praetextu a *Gubernatore* impetrata liberi itineris teſſera, euaſi, ac per uias, etſi parum tutas, incolumis perueni *Norimbergam*. Hic ubi debitas, *optimis Patronis*, pro munere in me collato gratias egiſſem, *Altorfium* properaui, comitatus literis, praeſentationem meam demandantibus *Magnifico Rectori*, GEORG. PAVL. ROETENBECCIO. Is, utpote b. Parentis mei Frater, paterno plane affectu in aedes ſtatim ſuas et conuictum me recepit, mox etiam in SENATVM ACADEM. *Ampliſſimum* introduxit, communi omnium *Collegarum* congratulatione exceptum d. XVIII. Decembr. anni ſupra dicti. Idem Patruus amantiſſimus, et poſtea tot ac tanta amoris et amicitiae ſpecimina mihi exhibuit, ut propterea debitorem ipſius et familiae relictae perpetuum me profitear.

Caeterum muneris initia, B. C. D. feci d. II. Martii A. S. IV. *Programmate* edito, *de Pietate Medicorum*, alteroque die recitata *ſolenni Oratione, de Meritis Germanorum in rem Medicam*; quod quidem peragere uolebam citius, niſi ſtatuiſſent *Illuſtres* DNN. CVRATORES, ut differrem in illum diem, quo praeſentibus eorum aliquibus celebranda foret *Creatio Doctorum, extra ordinem*; ut eadem occaſione et me diſſerentem audire poſſent. Primas (quae ſic uocantur) *Lectiones publicas* inſtitui *de Rebus Medicis, quae in S. Codice Noui Foederis comme-*

morantur, eo potiſſimum conſilio, ut, cum perquam pauci tunc adeſſent Philiatri, aliis etiam ſimul prodeſſem docendo. Eadem etiam intentione poſtea edocui, ſcholis pariter publicis, quae ad *hominum literatorum ualetudinem tuendam* conueniunt, frequenti ſatis utrinque Auditorio. Nec priuatim defuit, paucis quidem iſtis Medicinae Studioſis, mea induſtria, ad ipſorum deſiderium et captum accommodata.

Prolixum nimis foret enumerare ſingula *Collegia*, per tot annos, in quintum usque luſtrum iugiter habita; quandoquidem, praeter publica (minimum ſemel quotannis abſoluta) *priuatorum ſexaginta* circiter, me non inchoaſſe tantum, ſed etiam perfeciſſe, teſtimonio ſunt illae deſignationes, quas auditorum nominibus ſubſcriptis, memoriae cauſa repoſitas ſeruo. Coegit etiam neceſſitas, aut certe poſtulauit occaſio, ut *omnes omnino Medicinae partes* gradatim quaſi profiterer, etiam publice, ſola excepta *Anatome*; ad quam exercendam, propter hebetiores factos, aſſidua lucubratione oculos, progrediente aetate non ſatis idoneum me iudicaui, tametſi per annos iuueniles haud exiguam ipſi operam nauauerim. Subinde uero *chimicis* quoque *experimentis ad ſcientiam naturalem*, *dextre applicatis*, hanc illuſtrare, et ſpecialem eius partem *copioſa rerum eo pertinentium collectione mea*, ordinatim expoſita, curioſis ſpectatoribus dilucidare ſtudui.

Cum enim, quemadmodum ſupra commemoratum iam eſt, peculiari quodam inſtinctu ad *foſſilium* praecipue perueſtigationem, inde ab adoleſcentia mea inclinauerim, fieri non potuit, quin *Altorfini* etiam *agri* et uicinae regionis theſauros eius generis ſcrutarer, hoc quidem maiori labore, quo minus trita inueniebam ad inquirendum ueſtigia; ut uix quicquam iſtiusmodi rerum, circa nos obſeruatum comperirem, praeter id, quod b. MAVR. HOFFMANNVS *in deliciis Florae Altorf. ſylueſtribus*, ſub lit. L. ſane perexiguum annotauit. Nihilominus fauentem habui fortunam, ut in multa inciderim egregia, *lapidum* praeſertim *figuratorum* ſpecimina; unde natum eſt opuſculum, *Oryctographiae Noricae* titulo, ante hos uiginti annos diuulgatum. Hoc, praeter meam expectationem adeo ſe commendauit lectoribus curioſis, ut non pauci ad con-

ad conſimilium rerum disquiſitionem excitarentur, plures uero methodum in eo traditam laudarent, ſibique pro ſuis collectaneis ordine diſponendis ueluti normam eligerent; quamuis ego non pauca in eodem libello deſiderem, fortaſſe propediem exhibenda in *Paraleipomenis.* Interim qualecunque opuſculum inter *claſſica quaſi ſui generis ſcripta* relatum iam paſſim deprehendo; quod etſi ego non tanti eſſe putem, gratulor mihi tamen, cum ſentiam, quod *parerga* iſta, et ueluti condimenta ſeueriorum laborum non male ceſſerint.

Vt primum illud obtuli *Venerando Praeſidi Societatis Imperial. Nat. Curioſ. Illuſtri D.* LVCAE SCHROECKIO, is approbationem ſuam, compluribus aliis anteferendam, non modo literis humaniſſimis declarauit, ſed etiam honorifico *diplomate* miſſo, *laudatae Academiae Sociis* me ultro adſcripſit, *Eugeniani* cognomine. Hunc honorem amplificauit poſtea idem *Vir Magnificus*, quando inter *Adiunctos* ſibi in officio Praeſidis Viros me recepit. Ego uero ſatis quidem intelligebam, eo ipſo admotos mihi quaſi ſtimulos eſſe, ad enitendum amplius, ut pro inſtituto maxime laudabili *Societatis* noſtrae, *nunquam otioſus*, noua ſubinde quaedam eruerem in Hiſtoriae Naturalis et Medicae Artis incrementum: Veruntamen quo diligentius circa talia uerſari uolui, eo frequentius impeditum me per alia negotia uidi; ut fere pudeat, quod praeter *paucas obſeruationes*, nihil ad *Ephemerides* hactenus contulerim, hoc magis ſolicitum de maiori acceſſione in poſterum facienda.

Caeterum, ut fieri ſolet, cum aetate creuerunt *occupationes* meae, praeſertim *in Medicina facienda.* Quamuis enim per primos Academici officii annos neglecta propemodum occaſione, quam in *Vrbe Norica* tum et alibi habebam, totus quaſi uacauerim iſti muneri, ſenſim tamen implicatus ſum *Praxi* (quam uocamus) *clinica.* Priusquam e uita diſcederet Venerabilis ille Senex D. BRVNO, humaniter me adhortatus eſt, ut curae cordique haberem tot bonos et honeſtos homines, quos ille, per *Palatinatum ſuperiorem* longe lateque diſperſos, in cauſa ualetudinis nunquam non habuerit clientes, quibus etiam ipſe operam fidemque meam ſtudioſe commendauerit. Vnde factum eſt, ut poſt beatum

illius

illius obitum non pauci me conuenirent, per ſeria et iocum profitentes, quod *Brunoniano quaſi teſtamento* inſtituti uenirent, ut ſanitatis eorundem curam ſuſciperem. Accedebat etiam, quod *Poliatri Altorfini* ſpartam nanciſcerer, atque ita arctius aſtringerer ad inſeruiendum multis, quibus alias obligatus non eram. Sicut autem bene perſpexi, parum conuenire cum Profeſſione mea, dum ipſam *Praxin Medicam* doceo, ſi hanc reapſe non exercerem, ita feci quidem hactenus, quantum uires permiſerunt, uix tamen cogitans de comparando mihi in iſtis officii partibus maiori applauſu.

Interim praeter ampliſſimam multitudinem hominum ex uariis ordinibus, poſſem etiam enumerare *Sereniſſimas, Reuerendiſſimas, Illuſtriſſimasque Perſonas*, quae afflictam ualetudinem ſuam mihi curandam perclementer concrediderunt; niſi uererer, id uanae iactationis ſpeciem praebiturum. *Aulis* me mancipare nunquam concupiui, non quaſi ignorarem, quod

Principibus placuiſſe Viris, non infima laus ſit;

ſed quia, imbecillitatis meae mihi conſcius, dubitauerim, ut poſſem ſatisfacere, aut par eſſe tanto labori, quantum mihi fingebam eſſe illam perpetuam obſeruationem ualetudinis *Principum.* Equidem ſacratis ipſorum perſonis inſeruire, ſicuti glorioſum, ita tolerabile non ſemel expertus ſum; quo minus autem confiderem uitae aulicae, pridem effecit IO. CRATO, *magnus ille trium maximorum* CAESARVM *Archiater*, qui eam, ſibi ſat diu exploratam, alicubi (*) definit eſſe *honoratam miſeriam, uitam ἄϛατον, plenam laboribus atque multis periculis, grauiſſimis curis, calumniis infinitis expoſitam.* Quare cum aliquando, per beatum praeceptorem meum, D. VVEDELIVM, oblata mihi eſſet eiusmodi conditio, caeteroquin haud contemnenda, *infirmum ſtomachum* meum cauſatus, eandem modeſte recuſaui.

Placuit igitur diuinae prouidentiae, ut in *umbratili hac uita Academica* conſeneſcerem, hoc quidem lubentius, quo firmius etiam perſuaſus ſum, non inutilem me iam impendiſſe operam Reipublicae, in erudiendis

(*) in praefat. ad FRANC. VALLESII *controverſ. Med.*

diendis tot bonae indolis Auditoribus, qui medendi ſcientia fideliter tradita omnis generis hominibus, ipſisque adeo *Principibus* prodeſſe queant. Præſidis (quem *Decanum* dicimus) officio in mea *Facultate* iam functus ſum octies: *Rectoris* autem *Vniuerſitatis* munere ſemel atque iterum. Et illud quidem poſterius auſpicato incidit in annum huius Saeculi XXIII. quo peragenda erant *prima huius Academiae Sacra Saecularia.* In his ordinandis, recteque celebrandis, quod pro uirili parte laborauerim, omnemque curam adhibuerim, teſtes puto me habere locupletes, *Optimos in Academico Senatu Collegas*, ſicuti conſiliorum, ita honoris quantulicunque participes: licebit etiam niti teſtimonio atque documentis, quae publico nomine edita iſtorum *Sacrorum Saecularium Acta* ultro ſuppeditant. Hoc autem minime poſſum tranſire ſilentio, quod per utrumque *Conſulatum* meum, in adminiſtranda diſciplina et Iurisdictione Academica, tantum non ſemper ὁμόψηφον habuerim totum *Senatum*; cui etiam concordiae, diuinitus conceſſae, adſcribo potiſſimum, quod iſtud officium iterato ſuſcepiſſe me non poeniteat.

Quantum attinet ad *Profeſſionis* meae mutationes, harum prima contigit poſt obitum b. D. BRVNONIS, ubi relictam ab ipſo *Theoreticae*, ſeu *Inſtitutionum* (uti loquimur) *Medicinae*, publice docendae prouinciam accepi, quae *Phyſiologiam*, ante iam mihi commiſſam, ſimul complectitur; *Chirurgiam* vero D. HEISTERO tradidi eo libentius, quo commodius iſta coniungi uidebatur cum *Anatomia*, ad quam exercendam, ipſe potiſſimum uocatus erat. Deinde uero cum D. IO. M. HOFFMANNVS *Onoldum* ſe contuliſſet, *primam Cathedram* obtinui *Therapeuticamque Medicinae partem*, tum et *Chimiam* et *Botanicam* docendam in me translatam, cum *Praefectura Horti Academici*, pro uiribus hucusque ſuſtinui. De acceſſione Horto nuper facta per *ſeminarium*, gratioſa *Generoſiſſ.* DNN. CVRATORVM munificentia extructum, hic nil commemoro, quod eiusdem uberior habita mentio, in ea *Oratione*, qua ante biennium celebraui *ſaecularem Horti Noſtri memoriam.*

De domeſticis tandem rebus meis, ut ſupra enarratis nonnihil adiiciam; amiſſa coniuge prima, tori ſociam elegi Virginem, honeſtiſſi-

mis natalibus ortam *Norimbergae*, SOPHIAM MAGDALENAM SCHOENERIAM, cum qua coniunctiſſime uixi per octo iam annos, *qui mihi uiſi ſunt pauci dies, prae amoris magnitudine* (*), tametſi hoc matrimonium hactenus ſterile fuerit. Quare cum *liberos* inde natos numerare nullos queam, enumerabo ſaltem *libros*, aut ingenii mei qualescunque foetus; quorum, cum plerique ſint mole exigui, aliquos etiam non ſatis maturos, et tantum non *abortiuos* eſſe ipſemet agnoſcam, tum his, tum illis, tum *biographiae* huic meae, feſtinante admodum, ac interpellato ſaepiſſime calamo exaratae, ueniam expeto.

* *

SCRIPTA HACTENVS EDITA,
ſecundum ſeriem annorum propoſita.

1. Diſſertatio de *Ambra*, Praeſide D. G. VV. VVEDELIO, Ienae, 1698.
2. Diſſert. de neceſſaria *Saliuae inſpectione* ad conſeruandam et reſtaurandam ſanitatem, Praeſide D. FRIDER. HOFFMANNO, Halae Magd. 1698.
3. Diſſert. Inauguralis, de *Capillis*, Praeſide D. RVD. VVILH. CRAVSIO, Ienae, 1700.
4. Programma περὶ τῆς τῶν ἰατρῶν εὐσεβείας (ſ. de Pietate Medicorum) quo primas *Lectiones* ſuas, *de rebus medicis in S. Scriptura N. T. contentis*, publice habendas, iisdemque praemittendum ſermonem *de Meritis Germanorum in rem medicam*, autor ſignificauit, Altorfi, 1704. in 4.
5. Diſſert. de *Veſtitu*, Reſp. *Io. Frid. Schvvarz*, Lubecenſis, 1704.
6. — De *Mercurii crudi uſu interno*, Reſp. *Io. Petr. Rœſelius*, Norimb. 1704.
7. De *Longaevitate Medicorum* Diſſertatio Epiſtolaris, ad D. IAC. PANCRAT. BRVNONEM, 1705.
8. Aphoriſmi de *Literatorum ſanitate* tuenda, Reſp. *Io. Georg. Kœnig*, Herbrucco Nor. 1705.

9. Diſſert.

(*) Geneſ. XXIX. 20.

9. Diſſert. de *Iucundo*, in Praxi medica obſeruando, Reſp. *Io. Frid. Herelius*, Furtho-Nor. 1705.
10. — De *Freno Linguae*, Reſp. *Tobias Deggelerus*, Scaphuſienſis, 1706.
11. *Problemata* quaedam medica: 1) Vtrum *uina ſulphurata* ſimpliciter ſint noxia? 2) An *cereuiſia*, cretae aliorumque alcalicorum iniectione reddatur inſalubris? 3) An *lapidis Thenſy* Chinenſium materia ſit incognita? 4) Num *potus Thee* laudabiles effectus herbae magis, an aquae calidae ſint tribuendi? 5) Vtrum *Mercurius crudus*, interne ſumtus, necem afferre queat? (*) Reſp. *Io. Frid. Charis*, Graecenſis Styrus, 1706.
12. De *Teſtimoniis*, *Medico futuro Practico neceſſariis*, Epiſtola gratulatoria, 1706.
13. Diſſert. Med. Botanica de *Viſco*, Reſp. *Leonh. Frid. Hornung*, Hala-Sueuus, 1706.
14. — De *Callo Oſſium*, Reſp. *Nicol. VVolfg. Mullerus*, Norimberg. 1707.
15. — De *Poculis medicatis*, Reſp. *Georg. Frid. Hœchſtetter*, VVeiſſenburgo-Francus, 1707.
16. — De *Turundis*, Reſp. *Io. Iac. Iantke*, Briga-Sileſ. 1707.
17. Ορυκτογραφία *Norica*, ſiue *rerum foſſilium*, et ad minerale regnum pertinentium, in Territorio Norimbergenſi eiusque uicinia obſeruatarum ſuccincta *deſcriptio*, cum iconibus lapidum figuratorum fere ducentis. Norimbergae, 1708. (**)
18. Diſſert. de *Equitationis* utilitatibus et incommodis, Reſp. *Mich. Penz*, Oeſterberga-Eyſtettenſis, 1708.
19. — De *Labiorum Puſtulis*, Reſp. *Heluicus VVilh. Staudacher*, Onoldo-Francus, 1709.

(*) Eſt hoc Problema quintum, uelut *Apologia* Diſſertationis Num. 6. recenſitae, aduerſus Obſeruationem ultimam *Decur.* III. *Ann.* IX. et X. *Ephemer. Acad. Nat. Curioſ.*

(**) recenſetur in Act. Erudit. Lipſienſ. A. 1708. p. 226.

20. — De *Pudore*, in curanda ualetudine noxio, Reſp. *Ioſeph. Iac. Haempel*, Pilſna-Bohemus, 1709.

21. *Adagiorum Medicinalium*, doctrinae promiſcuae diſcurſibus illuſtratorum, Sylloge I. Reſp. *Io. Guil. VVidmann*, Nor. 1711.

22. — — Sylloge II. Reſp. *Io. Georg. Francus*, Eyſtadianus, 1711.

23. — — Sylloge III. Reſp. *Io. Frid. Seitz*, Barutho-Fr. 1712.

24. — — Sylloge IIII. Reſp. *Henric. Sonntag*, Altorf. 1712.

25. — — Sylloge V. Reſp. *Georg. Lud. Corvinus*, Naſſouienſis, 1713.

26. — — Sylloge VI. Reſp. *Tob. Ferd Pauli*, Vratislauienſis, 1714.

27. — — Sylloge VII. Reſp. *Aug. VVolfg. Miller*, Lindauienſis, 1714.

28. — — Sylloge VIII. Reſp. *Franc. Iac. a Melle*, Lubecenſis, 1717.

29. — — Sylloge VIIII. Reſp. *Io. Ehinger*, Auguſtanus, 1717.

Not: Cum iſta Collectio ad integram Centuriam perduceretur, uiſum fuit eandem coniunctim, cum praefatione et indice in publicum proponere, hoc titulo: *Adagiorum Medicinalium Centuria, quam recenſuit uariisque animaduerſionibus illuſtrauit* IO. IAC. BAIERVS, *Francof. et Lipſiæ*, 1718. *in* 4. (*)

30. Warhaffte und gründliche Beſchreibung der Nürnbergiſchen Univerſität-Stadt Altdorff/ ſamt dero fürnehmſten Denckwürdigkeiten/ kürtzlich entworffen / und mit accuraten Kupferſtichen gezieret. Altdorff / 1714. in 4. Idem opuſculum, mutato aliquantum titulo, ab A. 1717. nunc venale habetur ſub aedibus Collegii noſtri.

31. *Gemmarum affabre ſculptarum theſaurus*, quem ſuis ſumptibus haud exiguis, nec parvo ſtudio collegit IO. MART. AB EBERMEYER, Norimbergenſis, digeſſit et recenſuit IO. IAC. BAIERVS, 1720. in Fol. (**)

32.

(*) conf. Act. Erud. Lipſ. A. 1719. p. 446.

(**) recenſionem huius operis, cum elogio, neutiquam emendicato, uideſis in eorund. Actor. A. 1720. p. 289.

32. Diſſertatio Botanico-medica, de *Artemiſia*, Reſp. *Gottlob Ephraim Hermann*, Glogauia-Sileſius, 1720.

33. Schediaſma, quo inſtitutum meum de AVR. CORNEL. CELSO ad maiorem Philiatrorum utilitatem accommodando aperui, 1720. in 4.

34. Diſſertatio de *Iatro-aliptice Veterum*, Reſp. *Io. Chriſt.* Selig/ Eibenſtochio-Miſnicus, 1723.

35. — De praeſtantia quarundam rerum, per uetuſtatem conſequenda, Reſp. *Io. Philip.* Schwartzmann/ Rotenburg. 1723.

36. *Horti Medici Acad. Altorf. Hiſtoria, curioſe conquiſita*, A. 1727. in 4. Contenta uoluminis haec ſunt: 1) De hortis Germaniae botanico-medicis celebrioribus, *proluſio*: 2) *Oratio* de Origine, progreſſu et fatis Horti medici Acad. Altorf. habita in ſolenni Panegyri: 3) *Carmen ſaeculare*, quod ad primum *horti Medici Acad. Altorf. Feſtum ſaeculare*, d. XVI. Maj. A. R. S. CIↃ IↃCCXXVI. ſolenniter celebratum accommodauit, et in Panegyri canendum inſtituit I. I. B. 4) LVDOV. IVNGERMANNI inuitatio ad Fautores Florae Altorfinae: 5) *Inſcriptiones* in Horto Med. Altorf. paſſim legendae: 6) *Teſtimonia* quaedam Clariſſ. Virorum de horto iſto: 7) *Carmen*, quo *Societas Philiatrorum* congratulata eſt ſaeculari memoriae H. M. A. ſolenniter celebratae: 8) *Poëma uernaculum*, quo eadem Societas, *Hortulani* bene meriti *Iubilaeo*, in A. 1723. incidenti applaudere uoluit.

37. *Orationum* varii argumenti, uariis occaſionibus in Academia Altorfina publice habitarum *faſciculus*, A. 1727. in 4. Themata ſunt ſequentia: 1) *de Rei militaris ac medicae conuenientia*: 2) *de Honorariis ac praemiis Medicorum*: 3) *de honorificis Medicorum appellationibus*: 4) *de Politiae medicae et Academicae analogia*: 5) *de bonarum Legum et Praeſcriptionum medicarum inter ſe conuenientia*: 6) *de communibus Medici atque Rectoris Academici uirtutibus*: 7) *de praeparatione Ciuium Acad. ad inſtans Feſtum ſaeculare.* (*)

(*) Harum Orationum recenſio extat in den Hiſtoriſchen Nachrichten von neuern Europäiſchen Begebenheiten/ edit. *Ratisbonae*, A. 1727. pag. 791.

38. *Biographiae Profeſſorum Medicinae*, quos unquam habuit Academia Altorfina, 1728. in 4. ipſum nempe praeſens hoc opuſculum.

Pauculae *Obſeruationes medicae* ſunt inſertae *Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Centur.* V. et VI. item VII. et VIII.

* * *

Cum, ex antiquo *Vniuerſitatis noſtrae* ſtatuto, *Canditati trium ſuperiorum Facultatum*, *pro Licentia* conſequendi honores Doctorum, *ſine ullius Profeſſoris Praeſidio Diſputationes* ſuas *Inaugurales* habere debeant; inde fit ut multo rarius apud Nos, quam in aliis quibusdam Academiis, legantur *nomina Profeſſorum*, *Diſputationibus publicis inſcripta*; haud exiguo ſane exiſtimationis noſtrae detrimento, qui nihilominus illis Inauguralibus obſtetricari tenemur: Cum ex aduerſo alibi Profeſſores, quaſi unice inclareſcant, propoſitis nominibus titulisque ſuis in iſtiusmodi Diſſertationibus, quarum tamen autores ipſi ſaepiuſcule non ſunt. Vt igitur appareat, quam inique, ob illam noſtrorum nominum praetermiſſionem, ignauiae alicuius, et *quod parum ſcribamus*, accuſemur (quod non ſemel ita factum comperi;) placuit exempli cauſa, illarum duntaxat *Diſſertationum ſolennium*, *quas ego hactenus*, *a capite* (quod dicitur) *ad calcem usque confeci*, apponere heic *nudos titulos*, omiſſis Candidatorum nominibus, ne forte aliquis hinc offenderetur.

1) *De Laſſitudine*, A. 1706. 2) *De Febre miliari*, 1707. 3) *De Morbis morborum remediis*, 1708. 4) *De Menſibus dolorificis*, 1709. 5) *De Secretionum anomaliis ſalutaribus*, 1709. 6) *de Malo hypochondriaco*, 1709. 7) *De Colliquatione*, 1710. 8) *De Ictero*, 1710. 9) *De Iride*, 1710. 10) *De Fonte ſalutari*, *ſiue Balneo Weiſſenburgenſi*, 1710. 11) *De Sanguine Draconis*, 1712. 12) *De Malo Punica*, 1712. 13) *De Aquis medicatis Burgbernheimenſibus*. 1713. 14) *De Millefolio*, 1714. 15) *De Alumine*, 1715. 16) *De Scilla*, 1715. 17) *De Aſparago*, 1715. 18) *De Ganglio*, 1717. 19) *De*

Lilio

Lilio conuallium, 1718. 20) *De Lupulo*, 1718. 21) *De quibusdam Aſylis ignorantiae Medicorum*, 1718. 22) *De Thermarum in Bohemia Carolinarum praerogatiuis*, 1719. 23) *De Ariſtolochia*, 1719. 24) *De Pharmaceuticae recentioris praeſtantia*, 1720. 25) *De Morbis Bibonum*, 1720. 26) *De Oſcitatione et pandiculatione*, 1720. 27) *De Aſaro*, 1721. 28) *Idea boni Medici caſtrenſis*, 1721. 29) *De Probabilitatibus medicis*, 1722. 30) *De modis arcendi Peſtilentiam*, 1722. 31) *De Fuligine*, 1722. 32) *Mel ſaccharo praeſtantius*, 1724. 33) *De Patientia Medicorum*, 1724. 34) *De Temperantia Medicorum*, 1725. 35) *De Variolarum inſitione*, 1725. 36) *De Mineralium rerum praeſtantia*, 1727.

* * *

De meis *Anecdotis* non adeo multa promittere poſſum, quoniam a natura quaſi hoc habeo uitium, quod aegre aliquid conſignem ſcripto ad futuros uſus, multoque minus elaborem prius quam urgeat edendi neceſſitas. Confido tamen fore, ut adiuuante Deo, in lucem publicam breui tempore proditura ſint ſequentia.

1. *Animaduerſiones Medico - Phyſico - Philologicae in quaedam Loca Noui foederis* D. N. I. C.
2. *Orationum Academicarum, uarii argumenti, faſciculus alter.*
3. *Polyhiſtor Medicus*, optimorum per ſingulas medicinae partes Autorum *delectu* circumſcriptus.
4. *Politiae Medicae, et Forenſis Medicinae Syntagma nouum.*
5. *Propyleum Botanicum*, ſeu Prolegomena, rei herbariae ſtudioſis apprime ſcitu neceſſaria.
6. *Sciagraphia Muſei mei, cum ſupplementis Oryctographiae Noricae.*
7. Ipſius *Muſei plenior deſcriptio*; cuius diſtinctae partes erunt 1) *Iconotheca*, complectens multa millia imaginum, omnis generis, aere lignoue expreſſarum, et ordinatim diſpoſitarum: 2) *Memorabilia Bibliothecae priuatae*: 3) *Phyſiotameion*, ſeu rerum naturalium,

e tri-

e triplici (quod dicitur) *regno* , imprimis *Minerali* conquiſitarum , methodica expoſitio ; cum appendice quarundam artefactarum.

Quod de C. CELSO, ad maiorem Philiatrorum uſum accommodando, *peculiari ſchediaſmate* pollicitus ſum, ex animo quidem meo nondum ita dimiſi, tanquam adimplere nolim aut nequeam ; ſi Deus O. M. uitam cum ualetudine bona mihi prorogauerit. Interea dum expediuntur promiſſa alia, licebit expectare euentum *editionis nouae*, quam neſcio quis *in Belgio* adornare dicitur , poſt iteratam *Almeloveenianam.* Certe illa, quam Clariſſ. VVLPIVS *Patauii* nuper uulgauit, eiusmodi eſſe uidetur, quae a propoſito me parum deterreat.

Habeo inſuper alia, quibus non inuiderem uſuram lucis publicae, e. g. *Ambarologiam* et *Smegmatologiam* curioſam , nec non de *Alumine* ſingularem tractatum ; *itemque Theſaurum Antiquitatum Medicarum*, ad imitationem, aut certe ſupplementum , ampliſſimorum eiusdem generis operum *Gronouio-Graeuianorum* : aſt enim uero

Vitae ſumma breuis ſpem nos vetat inchoare longam !

LAVRENT.



LAVRENTIVS HEISTERVS.
Moeno - Francofurtenſis.
Med. D. Anatomiæ, Chirurgiæ, ac Theoriæ
P.P. in Academia Altorfina. Ab. 1710.
Nat. A. 1683. abiit in Acad. Juliam A. 1720.
W. P. Kilian ſc.

LAVRENTIVS HEISTERVS.

Ignoſcat L. B. quod hiſtoriam uitae huius Viri, ſecundum nomen ipſius praepoſitum, plene contextam hic non inueniat. Saepe ac multum per literas, itemque coram nuper, cum nos inuiſiſſet, obteſtatus eram amiciſſimum D. HEISTERVM, ut deſignaret ipſe, quicquid illius exponi uellet in hoc opuſculo; quod etiam tempeſtiue ſe curaturum pollicitus eſt, tametſi in hanc usque horam nihil obtinuerim. Certior autem factus ſum, creberrimam eius a domo abſentiam, aliasque occupationes impediuiſſe hactenus communicationem. Cum interim Bibliopola, propter inſtantes nundinas, editionem haud iniuſte urgeat, mihi uero ſtatutum ſemel ſit, *Biographias* DNN. Collegarum adhuc ſuperſtitum ipſismet concinnandas penitus relinquere; conſultum haud uidebatur quicquam in contrarium moliri. Quare paucis tantum uerbis indico, Excell. D. HEISTERVM, *Francofurti ad Moenum* d. XIX Septembris, A. R. S. cIↃ IↃCLXXXIII. natum, ad *Anatom. et Chirurg. Prof. Publicam* huc accerſitum, A. cIↃ IↃCCX. d. XI. Nouembris, me tunc Rectore, praeſentatum fuiſſe *Ampliſſ. Academ. Senatui;* quam ſpartam is quoque magna cum laude, per duo fere luſtra ornauit, donec *Helmſtadium* ad conſimile officium praeſtandum, lautioribus conditionibus, euocatus abiit; haud exiguo ſuo deſiderio nobis relicto, mihi praeſertim, qui amica conſuetudine Viri tam humani, eruditi atque induſtrii diutius utique perfrui optaueram; cui quidem uitam longiorem omnemque felicitatem animitus apprecor. Caeterum uix puto ignorare L. B. quod etiam Hiſtoriae Literariae amatoribus ſatis notum eſſe arbitror, *Clariſſ.* D. CHRIST. POLYC. LEPORINVM exhibuiſſe nuper ſeparatim, idiomate uernaculo, *Biographiam Heiſterianam*, LXX. paginas, formae (quam dicimus) quartae complentem. Huius tanta amplitudo fidem facit, quod nihil eorum, quae de omni uita rebusque geſtis, inuentis, ſcriptis, controuerſiis denique Celeberrimi HEISTERI, in eiusdem nominis honorem ac gloriam commemorari potuerunt, praetermiſſum ſit; ut adeo integram illam hic prompte inſererem, niſi diuerſitas idiomatis obſtaret, interpretationem uero tam prolixae commentationis, ad hominem qui magis, quam ego, abundat otio, pertinere putarem.

IO. IAC. IANTKE.

Natus eſt *Brigae Sileſiorum* A. S. R. CIƆIƆCLXXXVII. d. XXX. Ianuarii. *Patrem* habuit IO. IANTKE, ciuem apud Brigenſes honeſtiſſimum, qui et rei tormentariae praefecti locum tenuit; *Matrem* uero natam STERZIAM. Pietatis et literarum fundamenta, ſub inſtitutione Praeceptorum domeſticorum, primo poſuit; deinde in *Gymnaſio Brigenſi* per uarias claſſes, moderantibus MACKIO, BANCKIO, BAPTISTA, GERHARDO, GREMPLERO, ſtudia ſcholaſtica tractauit. Hinc tanto maiori cum fructu audire potuit per quinquennium, tam humaniores literas, quam uarias Philoſophiae partes docentem Virum Clariſſimum, νῦν ἐν ἁγίοις, GODOFR. THILONEM *de Thilau et Steinberg*, *S. Caeſ. Maieſt. Conſiliarium*, laudati Gymnaſii Rectorem et Inſpectorem.

Praeparatus ſic ad altiora, ualedixit patriae, et anno huius ſaeculi VI. menſe Aprili, *Academiam Lipſienſem* petiit, ubi a beato D. SCHAMBERGIO, t. t. Rectore, in numerum Studioſorum receptus, Collegia quaedam Philoſophica, inprimis autem Medica, tam publica quam priuata D. D. BOHNII et RIVINI frequentare coepit. Cum uero paulo poſt, ob irruptiones *Suecorum*, omnes ſcholae turbarentur; *Halam Magdeburg.* abiit, qua occaſione D. FRID. HOFFMANNVM et D. GEORG. ERN. STAHLIVM publice docentes tantiſper audiuit. Reſtituta autem pace *Lipſiam* equidem reuerſus eſt: quoniam uero nec tum rite procedebant Collegia, de conſilio b. D. HERINGII, percelebris apud *Lipſienſes* Practici, *Altorffium* ſe contuiit, ſub finem anni eiusdem, Ciuibus Academicis et *Societati Philiatrorum* adſcriptus eſt, in qua etiam deinceps officio *Prouiſoris* aliquandiu praefuit.

Quo magis autem perſpiciebat inſignem ſua ſtudia prouehendi opportunitatem, eo alacrius ſe ad ipſam accommodauit, atque in *Philoſophicis*, praeſertim *Phyſicis*, doctrina uſus eſt D. IO. VVILH. BAIERI, t. t. illius Facultatis et Mathemat. Publici Profeſſoris. In *Medicorum* autem *Ordine* Venerandum huius et Academiae totius Seniorem b. D. BRVNONEM coluit, explicantem *Pathologica* ac *Therapeutica*, *Chirurgica*


D. JO. JACOBUS JANTKE
Briga—Sileſius
Com. Palatini Solisbacensis Consiliarius
et Archiater et Phyſiolog. ac Pathol.
Prof. P. in Academ. Altorf.
ab Aº. 1714. Nat. Aº. 1687.

W. P. Kilian ſc.

gica item, et ſingulares *Caſus* dilucidantem, atque ſub Praeſidio Eiusdem *in ordine circulari* diſputauit ad HIPPOCR. *Aphor. XLV. Sect. IIII.* Praecipue autem ſecutus eſt b. D. IO. MAVR. HOFFMANNVM, in *ſingulis fere partibus Medicinae* docendo praeeuntem, ultra quadriennium, ut longum nimis foret enumerare tot *Collegia* priuatim ac publice frequentata. Aſtitit etiam *Noſter* Optimo illi Praeceptori ſuo, ac *Prouiſoris titulo* miniſtrauit in *Theatro Anatomico*, diſſecanti publice *humanum cadauer*, eiusdemque ſub Praeſidio *Diſquiſitionis* ſuae *Anatom. Patholog. Sectionem VIII.* in *Circulo Academico* defendit. Gratus etiam agnoſcit, ſe non parum profeciſſe ex *Collegiis* uariis, tam Medici quam Phyſico-Curioſi argumenti, a D. IO. IAC. BAIERO utiliter inſtitutis. Eodem etiam Praeſide *diſputationem* habuit *de Turundis*. Caeterum laudatiſſimus D. HOFFMANNVS, conſiderata *Noſtri* diligentia, et ad Medicinam faciendam applicatione, non dubitauit ſubinde ipſi committere aegros in abſentia ſua curandos, aut peregre uiſitandos, quin et *arcanorum Medicinalium* ſuorum reddere participem, ut propterea Noſter grato animo et ore profiteatur, ſe inſtitutioni ac fidei Hoffmannianae plurimum debere.

Admonebatur autem per literas *Parentum*, ut Academici ſtudii curriculo finem imponeret, ideoque illius rite confecti *teſtimonium praemiumque* a uenerandis Praeceptoribus ſuis expeteret. Admiſſus igitur ad *examina* conſueta, his cum approbatione ſuperatis, habitaque *Diſſertatione Inaugurali*, *de Colliquatione*, conſecutus eſt *Licentiam* honores Doctorum publice accipiendi, quos etiam a *Pro-Decano*, D. BAIERO, in *Panegyri Petro Paulina* anno huius ſaeculi decimo ſolenniter impetrauit.

Dignitate iſta ornatus iter *Francofurtum* uerſus inſtituit, et propinquas *thermas VVisbadenſes*, *Embſenſes*, *a Serpentibus* item *dictas*, nec non *Acidulas Schvvalbacenſes* uiſitauit; Electoralem quoque ſedem *Moguntiam* perluſtrauit. Inde reuertens, *Darmſtadium*, *Heidelbergam*, *Stutgardiam*, *Tubingam*, *Vlmam Sueuorum*, *Auguſtam Vindelicorum*, *Ratisbonam* denique permeauit: quo in itinere multos praeclaros ac de Re Medica optime meritos Viros, ſpeciatim D. D. HERTIVM,

ZELLERVM, CAMERARIVM, SCHROECKIVM, MEZGERVM, pluresque alios ſalutauit, atque doctiſſimis eorum colloquiis gauiſus eſt. *Altorffium* hinc rediens, aliquandiu ibidem commorari ſtatuit, nec dedecori ſibi fore putauit, ſi priuatiſſima informatione ſummopere obſeruandi D. HOFFMANNI ſui amplius uteretur, eiusque methodum curandi accuratius addiſceret.

Hoc tempore ea ipſi obtigit felicitas, ut *Solisbacum* miſſus, SERENISSIMAM PRINCIPEM, *pleuritide* cum *acuta febre grauiter decumbentem*, ſanitati reſtitueret. Poſtea uero, iubente ſic *Parente*, circa finem anni ſupra dicti Altorffium relinquere coactus, in patriam ſe recepit. Mox ubi aduenit *Praxin Medicam* exercere aggreſſus eſt, quod nec infeliciter ſucceſſit per annum integrum. Interea ſub ſpe matrimonii honorabilis ac ſpecioſi contrahendi allectus, denuo uenit *Altorffium*, quamuis parum felici, quaeſitae et tandem impetratae rei euentu; de quo plura hoc loco dicere non attinet. Caeterum inter illa ipſa, quae apparebant, ſiniſtra fata, cum etiam periculoſum ualde morbum *Noſter* ſuperaſſet, laetior affulſit fortuna: etenim *Hofmanniana* commendatione adiutus, obtinuit ille A. S. XIII. a *Sereniſſimo Duce Solisbaco-Palatino* DN. THEODORO, ſpartam *Archiatri*, deinceps mirifice exornatam addito *Conſiliarii* ſplendido titulo.

Cum etiam D. HOFFMANNVS mutaret domicilium, idemque *Onoldum* transferret, ab *Illuſtribus Vniuerſitatis noſtrae* DNN. CVRATORIBVS, efflagitanti IANTKIO, primum quidem *Extraordinaria*, et paulo poſt initium anni XIV. *Ordinaria Medicinae*, ſeorſum *Phyſiologiae et Pathologiae Profeſſio* gratioſe decreta fuit, quam ille auſpicatus eſt d. XXIV. Aprilis, habita Oratione ſolenni *de Cauſis uitae hominum hodie quam olim breuioris*. Poſt D. HEISTERI abitum in *Academiam Iuliam*, Noſter ſecundum in Facultate Medica locum, et Prouinciam docendi *Inſtitutiones*, ſeu uniuerſam Artis Medicae *Theoriam* occupauit. Anno demum huius ſaeculi XXV. a *Sereniſſimo Principe et Comite Palatino* DN. IO. CHRISTIANO, in *Conſiliarium* et *Archiatrum* conſtitutus Noſter eſt clementiſſime.

Ad

Ad *domeſticae uitae ſtatum* quod attinet, compoſita lite prioris, infauſto ſidere ſuſcepti matrimonii, plenam habuit poteſtatem ineundi alterum, quod d. XXIX. Octobr. A. S. XVII. conſummauit cum Nobil. Virgine MARGARETHA BARBARA, IO. STEPH. TRETZELII, Senatoris et Mercatoris apud *Solisbacenſes* filia unica, ex qua Coniuge amantiſſima tres quidem ſuſcepit liberos, duos nempe filios, qui tamen in prima pueritia deceſſerunt, et filiam SVSANNAM MARGARETHAM, in Parentum ſolamen adhuc ſuperſtitem.

* * *

Scripta IO. IAC. IANTKII edita.

1. Kurtzer und nothwendiger Unterricht/ wie ſich jedermann bey der an vielen Orten einreiſſenden Peſtilential-Seuche verwahren/ auch davon befreyen möge. Sultzbach/ 1713. 4.
2. Diſſertatio de Sudoribus nocturnis, Reſp. *Chriſt. Iac. Trevv*, Lauffa-Nor. 1714.
3. — de Atrophia infantili, Reſp. *Anton. de Clericis*, Curia-Rhaeto, 1714.
4. — de Nephritide, Reſp. *Io. Iac. Grambs*, Moeno-Francof. 1716.
5. *Selectus materiae medicae*, Tabulis LXV. exhibitus, cum appendice compoſitionum quarundam, hactenus ignotarum, et Indice. Norimbergae, 1720. in 12. Not. Hoc opuſculum propediem auctius in lucem daturus eſt autor.
7. Diſſertatio de Sanguificatione, Reſp. *Io. Chriſtian. Seelig*, Eibenſtochio-Miſnicus, 1723.

Caeterum in ſcriniis ſuis aſſeruat *Theoriam omnium morborum*, *rationibus* non ſolum, uerum etiam optimis et elegantiſſimis *obſeruationibus* ubique additis confirmatam; quam fortaſſis alio tempore edendam curabit autor.

IOANNES HENRICVS SCHVLZE.

Patriam nactus eſt pagum *Colbitz*, in ipſo limite boreali ducatus Magdeburgici cis-albino, ubi Marchiae ueteri committitur, ſub praefectura VVolmirſtadienſi ſitum, Sereniſſimis quondam Adminiſtratoribus Archiepiſcopatus huius, ob ſiluae adiacentis amplitudinem et iucunditatem, ferarumque inſignem copiam adeo adamatum, ut magnam anni partem ibi tranſigerent, et non ſolum arcem commodam, plures piſcinas, hippodromumque ibidem conderent, uerum etiam longa amplaque foſſa ad proximum fluuium Oram acta iter nauiculis pararent, quibus porro per Albim et Salam usque ad ſedem ſuam ordinariam, Halam, vehi poſſent. Patrem habuit honeſtum uirum Matthaeum Schulze, qui ſe numeroſamque familiam ſartorio opificio et apum cultura ſuſtentauit: integritatis pietatisque laude omnibus, inter quos uixit, commendatum.

Adſpexit autem hanc lucem anno cIↃ IↃCLXXXVII. a. d. XII. Maii et ſacro baptiſmo initiatus ſponſorem habuit Dom. IOAN. HENR. HVNDIVM, tunc ſaltuariae rei ſcribam Electoralem, a quo nomen gerit impoſitum. Mature autem eluxit diuinae prouidentiae benignitas, cui ſe omnia debere gratiſſimo animo praedicat, cuiusque ueſtigia retro legere, dum haec ſcribit, ut iucundiſſimum ſibi ſentit, ita aliis forte non iniucundum futurum ſperat, ſi cognoſcere eadem libuerit. Nam quum patriae accidiſſet ut parochus, ob neſcio quas cauſas, per plures annos ab officio ſuſpenderetur, tandemque ab hac ad aliam parochiam transferretur, in locum eius ſuccedebat uir admodum reuerendus Dom. ANDREAS ALBERTVS CORVINVS, antea VVedringenſis eccleſiae paſtor, multis nominibus mihi plurimum colendus et nunc ſocer dilectiſſimus, qui ſedulam curam adhibebat, ut quam nactus erat vineam Domini, tot annis fere neglectam, et, quod neceſſe eſt, uitiis pluribus et ſat profunde radicatis deformem, emendaret, praecipue autem pubis ſcholaſticae rectae educationi proſpiceret.

Hoc fine crebro ſcholam adibat, ipſeque explorabat quantum quisque proficeret: tantoque id magis ſedulo faciebat, quod magiſtrum non optimum ludus habebat. Me tunc admodum ſexennem inter com-

militø-



JO. HENRICVS SCHVLZE
Colbicenſis-Magdeburgicus
Anatomiae et Chirurgiae Prof. Publ. in
Academia Altdorfina ab A°. 1720.
Acad. Imperial. Nat. Curioſ. Collega
Alcmæon dictus.

Natus d. 12. May A°. 1687.

Wolffg. Philipp Kilian fecit

militones conſpexit et diligere coepit, quumque cognoſceret nihil ſupereſſe quod in ſchola illa diſcerem, patri meo ſponte ſua permiſit ut me ad domeſticum praeceptorem mitteret, quem ſuorum filiorum educationi adhibebat. Accedebant priuato iſti ludo plures et praeceptor aetate prouectioribus Latinae Graecaeque linguae fundamenta inculcabat: meam aetatulam, cum uno alteroque aequali, religionis uberiori doctrina imbuere et ad litteras elegantius pingendas adſuefacere ſatis habebat. Ego uero quum identidem audirem quae uel praeceptor tradebat uel commilitones recitabant, promtius fere ea, quam ipſi, arripiebam, ſaepiusque, quando e ludo dimittebamur, commilitonum aliquem rogabam, ut mihi libellos ſuos mutuo daret: quod is fere faciebat cum conditione ut libros nemo conſpiceret. Sic furtim quaſi et clandeſtino ſtudio proficiebam. Tandem praeceptor intelligebat me arripuiſſe doctrinas aliquas mihi nondum propoſitas, utque de me certior redderetur, patrem meum adibat, exquirebatque quid domi agerem. Commode accidebat ut me in angulo horti paterni poſt apiarium cum libellis latitantem deprehenderet, tunc quidem inſudantem nouo teſtamento Graeco cum uerſione Eraſmi Roterodami Baſileae impreſſo, cum multis ſcripturae compendiis, quas me non parum remorari ex lectione ſaepius interrupta meaque indignatione intelligebat. Hoc uiſo non ſolum induſtriam collaudabat, uerum etiam, ſtimulandae eiusdem fouendaeque cauſa, aliud exemplar recentiori typo expreſſum dono dabat, quo tantum gaudebam, ut iam Croeſo mihi uiderer longe eſſe ditior. Puerile hoc ſtudium quam mihi tunc iucundum fuit, tam utile exſtitit: quum ex uernaculae quotidiana lectione nouum teſtamentum mihi eſſet iam ſatis notum, hocque adiutus facile ſaepius lectam pericopen intelligerem, uideremque quod uerbum Graecum uel Latinum cui Germanico reſponderet, ante etiam quam grammaticae minutias me quisquam docuiſſet.

Inter haec octauum uitae annum tranſegi, duorum praeceptorum inſtitutione uſus: qui cum uterque, anno quisque exacto, Halam, ubi Fridericana tunc recens introducta erat, reuerterentur; effecerunt ut poſt biennium ſub binis aliis praeceptoribus exactum, eodem mitterer.

Nam

Nam cum laudatus CORVINVS Viro S. R. AVGVSTO HERMANNO FRANCKIO per illos innotuiſſet, et coniugi iſtius, beatae ſocrui meae, natae GLOXINAE, ſanguinis quaedam coniunctio cum Venerando FRANCKIO intercederet: factum eſt ut amicitiam crebris tunc litteris inter ſe colerent. Sic igitur effectum eſt commendatione Coruini et amborum praeceptorum meorum, ut Venerandus FRANCKIVS mihi in paedagogio Regio, tunc recens naſcente, inſtitutionem, in orphanotropheo autem uictum absque ſumtu liberaliter concederet. Quare me parens meus, decimum aetatis annum nondum egreſſum, cIↃ IↃCXVII. uere ineunte, eo deducebat, et S. R. FRANCKIO de manu quaſi in manum tradebat: a quo ſemel ſuſceptus tot beneficiis per uiginti, et qui excedunt, annos, quibus Halae uixi, affectus ſum, ut uerbis exprimere ſatis nequeam, quantum me debere uiro optimo agnoſcam.

Sed tunc quidem ingruens morbus difficilis calculoſus laetum ſtudiorum meorum progreſſum impediebat, et efficiebat ut ſequenti anno domum remitterer, quum uideretur mihi Halenſis aer et uictus ad ualetudinem recuperandam minus eſſe congruus. Haec inter duo elabebantur anni, quorum partem in patria exegi, partem Barlebii apud Cantorem illius loci, maximam uero VVolmirſtadii, ubi me fouebat amore uere paterno, et diligenti inſtitutione plurimum iuuabat Vir maxime reuerendus Dom. IACOBVS BAVMGARTEN, qui tunc ſcholae nouiter condendae Rector deſignatus aderat: re autem impedita Halam reuocabatur Venerandaeque Theologicae Facultati Adiuncti locum obtinebat: poſthaec patriae ſuae Compaſtor, tandem apud Berolinenſes praeſidiariorum militum curae praefectus immatura aetate animam DEO reddidit. Hic Halam uix peruenerat, quum me, ſatis iam bene ualentem, eodem reuocaret. Iam effloruerat ſchola Orphanotrophei, cui tunc tradebar, inque ea, cum pietatis chriſtianae uera doctrina, linguis et diſciplinarum utilium cognitione imbuebar.

Accidit tunc ut circa annum cIↃ IↃCCI. Halam veniret Dom. SALOMON NEGRI, Damaſcenus, Vir doctus grauis et probus, quem Venerandus FRANCKIVS permouebat, ut ultra annuum ſpacium ſubſiſte-

ſubſiſteret et Arabicam linguam doceret, non ſolum iuuenes Academicos, uerum etiam ſex pueros orphanotrophei alumnos, ex quorum numero mihi eſſe licuit, ſumtus liberaliter ſuppeditante Per-Illuſtri et multis ſpeciminibus pietatis immortalem memoriam nacto DOMINO BARONE de CANSTEIN. Erat autem ita conſtitutum ut toto die nihil aliud, niſi ſolam hanc linguam, tractaremus, Salomone noſtro totos nos detinente, ut, quibus horis apud ipſum non eſſemus, litteras et ductus pingendo et imitando, deinde deſcribendo etiam domi occuparemur. Ex quo factum eſt ut Arabicam linguam non modo facile addiſceremus, ſed ita profunde illa nobis impreſſa ſit, ut mihi ſaltem parum excidiſſe ſentiam, etſi ſatis iam multorum annorum ſpacio interiecto nimis parum temporis illi tribuere potui. Poſt abitum Salomonis noſtri coeptum huius linguae ſtudium fouebat Dom. M. CHRISTIANVS BENEDICTVS MICHAELIS, nunc philoſophiae in alma Fridericana Profeſſor celeberrimus, qui priuatiſſimo ſtudio multum ab eodem noſtro praeceptore profecerat, et nobiſcum Alcoranum aliquoties pertractauit.

Annus erat cIↃ IↃCCIIII. quo primi ex orphanotrophei ſchola ad academica ſtudia dimittebantur, quos inter ipſe eram, cui demandatum erat ut oratione Latina in examine recitanda meo et ſimul abeuntium nomine uale dicerem. Ciuibus academicis me adſcribebat Vir Conſultiſſimus D. D. IO. SAM. STRYCK, qui Pro-Rectoris Magnifici munere tunc fungebatur. Mihi ſtudium medicum prae reliquis placebat, quod quum uenerando FRANCKIO expoſuiſſem, adeo recte mihi conſuluit, ut initio ſtatim nanciſcerer proficiendi in hac diſciplina tam commodas occaſiones, quas uix magno aere redimere meliores potuiſſem. Nimirum effecit ut me Vir Experientiſſimus D. D. CHRISTIAN. SIGISM. RICHTERVS, Paedagogii Regii et Orphanotrophei medicus, ampla et diffuſa praxi domo diſtractus, ſaepeque exterorum litteris obrutus, adſciſceret, cui uel litteras ſcribendas dictitaret, uel uiſitandorum aegrotorum partem permitteret, ut de ipſorum ſtatu referrem. Haec ita commodis horis facere licebat, ut nihil impedirent etiam lectiones auditurum, ad quas aditum mihi liberaliter,

commendante iterum Venerando FRANCKIO, fecerat Illuſtris D. D. GEORG. ERNESTVS STAHLIVS. Sed et quotidie partes medicinae praelegentem audire licebat Experientiſſimum D. D. CHRISTIANVM FRIDERICVM RICHTERVM, eius, quem modo laudaui, fratrem, uirum longiore uita digniſſimum, et Dom. IO. CHRISTOPHORVM ECKEBRECHT, practicum non minus doctum quam felicem. Sed et hoc initio Academici curriculi Celeberrimi B. CHRISTOPHORI CELLARII praelectiones me iuuabant, ex quibus multum me fructum percepiſſe gratus profiteor. Si haec nondum ſufficiebant tempori utiliter conſumendo, totis diebus et noctibus occupari licebat in pharmocopolio Orphanotrophei, ubi et uictum tunc et domicilium habebam, ſummaque iucunditate manus afferebam, ſi quid eſſet uel in officina uel laboratorio peragendum.

Haec inter duo anni effluxerant, quum mihi amicus quidam uariis argumentis ſtudium medicum diſſuaderet, nonnullos quoque arietes expugnando propoſito meo adhiberet, quos poſtea male fuiſſe concinnos et ſolidos ſatis cognoui. Aſſenſi tandem in eo, ut ad maturitatem aetatis conſequendam tantiſper philologiae et theologiae operam dare ſtatuerem. Proponebam conſilium meum Venerando FRANCKIO, qui non obſcure ſignificabat ſibi propoſitum meum non probari: meo tamen arbitrio rem permittebat. Ego uero,cum incitarent alii,poſtridie me Venerando Theologorum conſeſſui, ex lege ibidem praeſcripta, ſiſtebam, nomenque profitebar inter theologiae ſtudioſos, et auditis ipſorum conſiliis alacriter ingrediebar nouum ſtadium. Ante omnia philologiae ſacrae ulterius excolendae animum appellebam, fideli manuductione uſus Dom. MICHAELIS ſupra laudati, quo praelegente ſacrum Ebraeum codicem ſemel iterumque pertractaui: deinceps etiam eodem duce ad Syriacam, Chaldaicam et Aethiopicam ac Samaritanam linguam, ut et Rabbinos euoluendos, progreſſus. Eiusdem commendatione ſemel iterumque nactus ſum, quos Arabicam linguam docendo memet exercerem. Obtigit etiam mature commilito probus diligens et eruditus, Dom. HENR. DANIEL SPEIRMANNVS, Zellenſis, qui me ſibi contuber-

tubernalem adſciſcebat, ut ſe in Ebraicis et Syriacis iuuarem. Ipſe uero mihi plurimum proderat ad Graecae linguae pleniorem cognitionem: gratusque praedico nihil aeque mihi profuiſſe, quam quod eius conſilio Graecos auctores absque uerſione legere tunc primum conari coepi: quod cum iam mediocriter in hiſtoricis, oratoribus et philoſophis ſuccederet, idem mihi in manus poetas dabat, et breui eo perducebat, ut et uerſus ſcribere auderem. Eodem tempore Conſtantinopoli redux Dom. ANHARDVS ADLVNG, Halae aliquot menſibus ſubſiſtebat, a quo Graecae hodiernae linguae praecepta hauriebam, et libros apud nos rariores hoc idiomate ſcriptos, Bukoreſtae et Venetiis impreſſos, non paucos perlegi: ab eodem etiam Turcicae linguae inſtitutiones accepturus, niſi ſpe et opinione citius auocatus fuiſſet.

Haec uero philologica occupatio, non oberat ſtudio theologico, in quo praeceptoribus utebar Reuerendiſſimo Dom. Abbate Bergenſi D. IOACHIMO IVSTO BREITHAVPT, theſin theologicam tunc tractante: Summe reuerendo D. D. PAVLO ANTONIO, exegeticas in N. T. lectiones habenti, quas integras continuo ordine excepi, fructu non contemnendo: et Venerando FRANCKIO, ad lectionem V. T. praecipue autem tunc prophetarum, manu perita et fideli deducente.

Sed nec philoſophiae operam nauare deſtiti, duce uſus uiro conſultiſſimo D. D. SCHNEIDERO, Buddeana philoſophiae compendia priuatim tunc praelegente. Illuſtrem etiam D. D. NICOL. HIER. GVNDLINGIVM, Puffendorffii de officio H. et C. libellum numeroſo auditorio publice explicantem aſſidue auſcultabam.

Haec inter tertius iam fluebat annus, quum me CL. Dom. HIERONYMVS FREYERVS, Paedagogii Regii Inſpector digniſſimus, Venerando FRANCKIO approbante, inuitaret, ut Seminario praeceptorum me adiungerem: quo facto cIɔ Iɔcc VIII. mox docendi laboribus admouebar: initio quidem illis leuioris momenti botanicis et anatomicis, mox linguas, Ebraeam et Graecam in prima claſſe docere iubebar. Annus ſequens his laboribus adiungebat geographiae tradendae iucundam occupationem. Quicquid mihi ſupererat ab his otii

Graecae fere linguae unice conſecrabam, cuius amore impulſus integra Gregorii Nazianzeni opera, tunc forte ſine uerſione oblata, improbo ſtudio pertractabam et non exiguam partem Baſilii Magni. Ex quibus quum intelligerem, quantum patres Graecos lecturum poetae adiuuent, ad Ariſtophanem deinceps, Sophoclem ac Euripidem tranſibam, illorumque ſedulae lectioni non exiguum tempus tribui. Ita ſubactus Graeci ſermonis improbo ſtudio ad Latinos auctores reuocabar, quum mihi cIↄ Iↄccx. prima claſſis Latina committeretur, cui Ciceronis libros de officiis primo ſemeſtri, altero orationes ſelectas praelegere iubebar matutinis horis, poſt meridiem uero poetas explicare et philoſophiae guſtum praebere.

Hoc anno exacto cIↄ Iↄccxi. Selectae, ut uocatur, claſſi, quae adoleſcentes habet academicis ſtudiis idoneos, quos tamen, ad maturitatem aetatis conſequendam, parentes ſub adductiori diſciplina manere conſultius putant, praeficiebar, quibus perpetua ſunt ſtili tam ſolutae quam ligatae orationis, uernaculo ſermone et Romano, ſcribendo non minus quam diſſerendo, exercitia: ſuper haec etiam omnium philoſophiae partium ſuccincta explicatio tradenda et ad theologiam penitior acceſſus pandendus erat. Idem mihi curriculum altera vice cIↄ Iↄccxiii. incoandum erat, quo abſoluto tertium etiam cIↄ Iↄccxiii. aggredi debebam.

Durante hoc tertio curriculo accidebat ut Excell. D. D. HEINRICI, occaſione publicae anatomiae innoteſcerem, cumque is poſtea collegium aperiret anatomicum et chirurgicum, quo operationes demonſtrabat, auditoribus ipſius me adiungebam, magis ut chirurgiae, quam ſolam nondum audiueram, præceptis imbuerer, quam quod ſerio medicinae me reddere uellem. Nam eo tunc eram animo ut quodlibet officium ſcholaſticum, ad quod uocarer, adire firmum conſtitutumque eſſet. Enimuero poſtaa accidit ut pluribus medicinae cultoribus familiarior redderer: quumque Vir Illuſtris D. D. FRIDERICVS HOFFMANNVS academiae Friedericanae redderetur, in eius etiam notitiam per amicos adducerer. Qui quum me non contemnendis conditionibus liberali-

ter

ter ad ſe uocaret: omnino perſuaſum habui non ſine diuino nutu haec mihi adeo ſupra ſpem et exſpectationem offerri.

Communicabam tunc mea conſilia cum amicis, et plus quam amico Venerando FRANCKIO, qui admodum prudenter monebat, quanti ſit momenti bis mutare vitae inſtitutum. Non poterat tamen omnino improbare rationes propoſiti mei: ſuadebat ſolum ut deliberationi maturae aliquos dies deſtinarem, et, quod, optimum factu cognouisſem, deinceps cum propoſito conſtantiae arriperem. Parebam conſilio et octo mihi dies praefigebam, quibus identidem mecum et cum amicis deliberabam: his uero transactis quum omnino nullum me ex ulla parte dubium remoraretur, accipiebam oblata ab Illuſtri HOFFMANNO beneficia, qui mihi domi ſuae omnia, quibus uel ad medicinae pleniorem inſtitutionem, uel ad uictum et commodam uitam indigebam, liberaliter ſe praebiturum per duos annos pollicitus erat: his uero exactis lauream etiam doctoralem absque ſumtu a me erogando tribuendam promiſerat. Vix animum meum Illuſtri HOFFMANNO declaraueram, quum, me abſente, (quoniam cum amico mox rus conceſſeram) uenirent litterae, quibus ad ſcholae Saldriae regimen Brandenburgum uocabar, in locum quem Dom. SCHLICHTIVS, cui ego in paedagogio Regio ſucceſſeram, tunc uacuefecerat, ut officio eccleſiaſtico Berolini oblato uacaret. Sed Venerandus FRANCKIVS, ad quem illa uocatio miſſa erat, nec ſui conſilii immemor, nec mei facti ignarus, reſponderi meo nomine curabat, quod de me impetrando res non amplius integra eſſet, aliumque quaerere deberent.

Sic CIↃ IↃ CCXV. uere ineunte, Hoffmannianas aedes, conuictum, ſcholam ingrediebar, optimis certe rebus meis, quum mihi in illa domo ita omnia ex uoto euenirent, ut non hoſpes, ſed plane filius eſſe mihi merito uiderer. Etenim medicinae ſaluberrima praecepta tradenti continuo adhaerebam, conſilium expetentibus aegrotis dandas reſponſiones mihi fere dictitabat, infinitas horas, quum ſolus eſſet in muſeo, uel in hortum exſpaciaretur, confabulationibus mihi utiliſſimis conſumſimus; ſi quid in laboratorio experiri placebat, adeſſe mihi licebat, nec pauca ſoli peragenda committebat: ad aegrotos ſaepe ſecum

adducebat, ſaepius ſuo me nomine etiam peregre mittere dignabatur; bibliothecae uſum liberrimum mihi concedebat, multosque libros, quos deſiderare me intelligebat, comparabat, nec umquam graue ducebat haeſitanti mihi conſilio, indigenti etiam aere ſuo liberaliter ſuccurrere. Paucis dicam, plus quam paterno affectu me complectebatur optimus ſenex, cui DEVS, quod continuo precor et uoueo, uegetam ſenectutem omni felicitatis genere affluentem largiatur, nobiliſſimamque familiam perpetuo florentem conſeruet.

Duobus integris annis domo, ſchola et conuictu Illuſtris HOFFMANNI gauiſus, Ipſius auſpicio ad examina legibus praeſcripta admittebar, quibus ſuperatis CIƆIƆCCXVII. ſub eiusdem praeſidio *de athletis veterum*, *eorum diæta et habitu* inauguralem diſputationem habebam. Honorificum mihi erat, quod Ill. Hoffmannus ipſemet, depoſita tantiſper praeſidis perſona, dubium e cathedra ſuperiori opponebat. Exii poſtea quidem e domo tanti patroni, ſed non amore et patrocinio eiusdem excidebam. Etenim quum auctor mihi fuiſſet ut commilitonibus ſcholas medicas aperirem: quo legitime hoc poſſem facere, publice diſputare permiſit, defendente diſputationem *de elleboriſmis ueterum* Dom. THEODORICO ISRAELE, Heidelbergenſi, Potentiſſimi Boruſſiæ Regis per multos annos pharmacopœo, tunc medicinae ſtudiis gnauiter addicto, et in ſchola Hoffmanniana aſſiduo commilitone, meo poſtea etiam auditore et amico integerrimo.

Illa æſtate phyſiologiam, anatomen et hiſtoriam medicinae ſatis frequenti auditorio praelegebam. Hyberno ſemeſtri chemicas praelectiones auſpicabar, iamque aliquantulum progreſſus eram, quum tranquillitas academica grauibus turbis interpellaretur, quae efficiebant ut ex XVII. auditoribus uix quinque ſupereſſent: quod mihi non modico damno cedebat, qui non ſolum laboratorium commodum inſtruere, non leui impenſa, debueram, uerum etiam multas, quibus me indigere intelligebam, medicae materiae merces comparaueram. Hoc tumultu diſceſſere aliqui, quibus, quum me conſulerent, Altorfinam Academiam eligere ſuadebam: ex quo deinceps factum eſt, ut ipſemet eodem accerſerer.

Ego

Ego uero deinceps non niſi priuatiſſimas ſcholas Halae habere conſtituebam, et, quicquid ſupereſſet otii, ſcribendo tribuere: praeſertim quum *Noui bibliopolii* patronus D. D. IO. CHRISTOPH. FRANCKIVS meam operam expeteret ad concinnandas cum aliis eruditis uiris illas, quas uocabat, bibliothecas, quarum Germanico idiomate edebantur *Miſcellanea*, die Vermiſchte/ & *Separata* die Abgeſonderte: Latino autem *Academica* et *nouiſſima obſeruationum et recenſionum*. Eodem tempore, eiuſdemque ſuaſu et conſilio, ſuſcipiebam *Plutarchi uitas parallelas* in uernaculum ſermonem ex Graeco transferendas, et notis illuſtrandas; cui labori tam ſedulo tunc incubui, ut uerſionis plus quam duae tertiae partes anno uertente confectae eſſent, notaeque Graecorum Imperatorum uitis ſequenti biennio adiicerentur, et quod reliquum erat uerſionis adtexeretur. Conſilium erat uitas has per partes emittere: ſed quum deinceps aliter uideretur bibliopolae, factum eſt ut non ſolum res traheretur, uerum etiam uariis impedimentis ſubnatis, tandemque ſubſequuta triſti ruina noui bibliopolii, omnis mihi ſpes potiundi fructibus improbi laboris mei fere irrita redderetur.

Anno cIↄ Iↄcc xix coniugem duxi IOANNAM SOPHIAM, ſupra laudati Dom. ANDR. ALBERTI CORVINI et MARIAE MAGDALENAE GLOXINAE filiam, quod coniugium menſe Iulio in patria utriusque noſtrum conſummabatur, ex qua filium GEORGIVM FRIDERICVM nuper ſuſcepi.

Quum Excell. D. D. LAVRENTIVS HEISTERVS A. cIↄIↄccxx Helmſtadium hinc diſcederet, DEI nutu et patronorum, quos inter praecipue occupatum fuiſſe Exc. D. D. IOANNEM IACOBVM BAIERVM, ordinis medici Seniorem digniſſimum, nunc collegam honoratiſſimum, grata recordatione celebro, commendatione factum eſt, ut Illuſtres Vniuerſitatis huius DOMINI CVRATORES in locum ipſius ſurrogandum me gratioſe decernerent. His auſpiciis Altorfium menſe Nouembri appuli, et demandatum munus a. d. XIII Decembris, habita oratione *de iuſta ſtudii anatomici aeſtimatione*, aggreſſus ſum. Sequenti anno primam diſſertationem publicam inſtitui, ſiſtentem *Hiſtoriae anatomicae ſpecimen primum*; quam cum ille, qui reſpondentis uices

obibat,

obibat, Dom. IOANNES KHELLE, Auguſtanus, patrono ſuo Illuſtri Domino LVCAE SCHROECKIO dedicaret, ipſeque mox domum proficiſceretur illam exhibiturus, meum exiſtimabam eſſe tantae dignationis tantorumque meritorum Archiatrum adiectis litteris officioſe ſalutare: quibus non ſolum humaniſſime reſpondit, uerum etiam transmiſſo honorifico diplomate Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum me, ALCMAEONIS nomine, adſcriptum eſſe ſignificauit.

Anno CIↃ IↃCC XXII primum Decanatum ordinis medici ſuſcepi, ab eoque abiens, in ipſis Saecularibus Vniuerſitatis huius feriis, octo medicinae candidatos Doctores renunciaui, habita oratione, quae in *Actis Sacror. Saecular.* legitur, et Altorfinae ſcholae medicae felicitatem indicat, qua ipſi plures laudatiſſimi Viri obtigerunt, qui lauream Doctoralem ibi potiſſimum ambire et ſuſcipere uoluerunt. Eundem Decanatum CIↃ IↃCC XXV ordine ad me redeuntem geſſi, quo finito CIↃ IↃCC XXVI Rectoris graue munus ſubii, et per annuum ſpacium geſſi.

* *

SCRIPTA EDITA HALAE.

Erleichterte Griechiſche Grammatica. Halle/ im Wayſenhauſe 1715. 8.

Anmerckungen zu Hn. D. E. F. A. ſo genannten Gründlichen Gegenſatz auf das Gründliche Bedencken vom tödtlichen Dampfe der Holtz-Kohlen. Halle/ 1716. 8. (*)

Diſſertatio inauguralis *de Athletis ueterum, eorum diaeta et habitu.* Praeſide Exc. D. D. FR. HOFFMANNO. Halae 1717. 4.

Diſſ.

(*) Huic ſcripto, aliquot iam menſibus elapſis, neſcio quis anonymus publice contradixit: quod uero is non obſcure ſuadebat, ut ampliſſimorum collegiorum Theologici, ICtorum et Medicorum in alma Lipſienſi iudicium exſpectarem, quippe his acta omnia transmiſſa erant: libentiſſime equidem acquieui. Quoniam uero diu ſatis exſpectanti tandem illius ſententiae copia per Illuſtrem quendam Patronum fiebat, publico non ingratam rem facturum me exiſtimabam, ſi pro colophone huius concertationis memorabile id ſcritum publicis typis edendum curarem: quod quidem eiusdem anni auctumno apud Rengerum prodiit.

Diſſertatio *de Elleboriſmis veterum.* Reſp. Dom. THEOD. ISRAELE, Heidelbergenſi. Ibid. eodem. (*)

ALTORFII EDITA.

Programma de *periergia in ſtudio anatomico uitanda.* 1720. 4.

Oratio inauguralis de *iuſta anatomici ſtudii aeſtimatione.* 1721. 4. acceſſit programma modo dictum.

Diſſertatio ſiſtens *Hiſtoriae anatomicae Specimen I.* Reſp. Dom. IOAN. KHELLE, Auguſtano. 1721. 4. (**)

— qua *Mors in olla, ſeu metallicum contagium in ciborum, potuum et medicamentorum praeparatione ac aſſeruatione cauendum* indicatur. Reſp. Dom. IO. CASP. ANHALT, Neo Ruppinenſi. 1722. 4.

— ſiſtens *Hiſtoriae anatomicae Specimen II.* Reſp. Dom. GEORG. NIC. STOCK, Norimbergenſe. 1723.

— de *Aloe.* Reſp. Dom. CHRISTIANO IACOBI, Falcoburgenſi. eodem.

— de *miſſione ſanguinis in peſtilentia.* Reſp. Dom. ERNESTO EMMANVELE GVTTORF, VVolmirſtadio-Magdeb. 1725.

Programma inuitatorium ad diſſectionem et demonſtrationem cadaueris uirilis. 1725. (***)

 Diſſer-

(*) Ex Latino etiam conuerti, ſed libera, ut mihi permiſſum erat, tranſlatione, Illuſtris Praeceptoris mei Dom. FRIDERICI HOFFMANNI complures Diſſertationes ad diaetam ſpectantes, quarum multi tomi ex officina Rengeriana prodierunt. Horum primo manus non admoui, ſed II. III. IV. & V. elaboraui. Titulus eorum ita fere ſonat: Herrn Friederich Hoffmanns gründliche Anweiſung / wie ein Menſch durch rechten Gebrauch der — ſein Leben und Geſundheit erhalten ſolle. 8.

Multas etiam recenſiones et obſeruationes inſerui ſuperius memoratis bibliothecis in *Nouo bibliopolio* editis, quarum indiculum, certas ob rationes, dare hic conſtitueram; ſed quod ipſimet mihi nunc omnes ad manus non eſſe uideo, ſuperſedere hoc labore cogor. Quae medicinam ſpectabant omnes e *bibliotheca obſeruationum* translatae ſunt in *Acta phyſico-medica Academiae Caeſareae Naturae Curioſorum*, 1727. edita, ibique a *pag.* 521. ad 545. leguntur.

(**) recuſa eſt auctior 1723. apud *Kohleſium.*

(***) Non haec prima fuit anatome publica, ſed omnino ſexta: uerum prioribus programmatibus nihil praeter nudam inuitationem continebatur: quare eorum meminiſſe nolui. In poſterum uero conſtitui cuiuis inuitationi adiungere breuem recenſionem aliquarum obſeruationum in theatro noſtro uel muſeo habitarum.

Diſſertatio de *oſſibus conferuentibus*. Reſp. Dom. GEORG. LEONARDO HVTH, Norimbergenſi. 1727.

— de *uiperarum in medicina uſu*. Reſp. Dom. CHRISTOPH. ALB. MAYER, Vlmenſi. 1727.

Programma inuitatorium ad diſſectionem et demonſtrationem cadaueris maſculini II. eod.

Diſſertatio de *balneis, ſcarificatione et uenae ſectione caute adhibendis*. Reſp. Dom. GEORG. VDALRICO SCHMIDT, Noerdlingenſi. eod.

— de *refectione celeri per alimenta humida*. Reſp. Dom. FERD. AD. SCHODER, Norimbergenſi. 1728.

Sunt ex modo dictis aliquæ diſſertationes, quod profiteri debeo, quibus ipſi Domini Reſpondentes manum ſedulam admouerunt; quoniam autem nec ſine meo conſilio et manuductione elaborationem abſoluere, nec ſine lima edere uoluerunt: non indignabuntur, ſpero, quod in hac recenſione fœtus ipſorum induſtriae adoptauerim.

Nec paucis inauguralibus diſſertationibus, abſque praeſidio apud nos ex ſtatuto ueteri defendendis, obſtetricias manus adhibui: quarum tamen vere paucae ſunt, in quibus non ipſi Domini Candidati ingenium uiresque prius experti ſint, quam meo ſtudio expolirentur. Ex his indicare, bona cum uenia illorum, quorum nominibus exſtant, ſequentes liceat, quae hic prodierunt:

1. *De Oedemate.*
2. *De Elaterio.*
3. *De uiro apoplexia extincto ab haemorrhoidum inconſulta ſuppreſſione.*
4. *De cauitatibus oſſium capitis.*
5. *De febre quartana duplici cum hemicrania.*
6. *De aethiope minerali.*
7. *de affectibus pruriginoſis ſenum.*
8. *De polypoſis concretionibus uariorum pectoris morborum cauſis.*
9. *De tinctura antimonii tartariſata.*

SVB PRAELO IAM SVDAT

HISTORIAE MEDICINAE pars I. ab orbe condito, uſque ad illud tempus quo medicina Graeca ad Romanos primum peruenit. Sumtibus *Petri Conradi Monath*, bibliopolae Norimbergenſis. Propediem, dante DEO, abſoluetur. Pars autem ſecunda, uſque ad renaſcentium litterarum tempora, ante finem anni huius, bono cum DEO, ſubſequetur.

SCRIPTA AFFECTA.

PLVTARCHI VITAE PARALLELAE, ex Graeco in *Germanicum* ſtudioſe translatae, cum perpetuis notis, res antiquarias, geographiam et hiſtoriam praecipue illuſtrantibus.

NICANDRI *theriaca* et *Alexipharmaca*, cum ſcholiaſte Graeco et annotationibus medico-philologicis, ac indice copioſo, qui Lexici nomen ſuſtinere poſſit.

Sunt & aliqua haud leui induſtria ante complures annos elaborata, ad hiſtoriam litterariam et Philologiam orientalem pertinentia, de quibus quid futurum ſit, uentura dies docebit. Ex omnibus maxime cuperem *Geographiam litterariam* abſoluere, iam ante XII annos interruptam, quum Luſitaniam, Hiſpaniam, Galliam, Italiam, Heluetiam et Germaniae fere tertiam partem, pro ea, qua tunc frui licebat, facultate et librorum copia, elaboraſſem. Augeo ſubinde, ſuppleo et corrigo: ſed amplius otium exſpecto, quo non ſolum ea, quae reſtant, ſubiungam, ſed et iam ſcripta ad incudem reuocem.

INDEX RERVM IN HIS BIOGRAPHIIS MEMORABILIVM.

A.

Academiae *Altorſinae Saecularia ſacra* 169

Academiae *Fridericianae Halenſis inauguratio* 151

Aicholzianum *ſtipendium, pro Studioſis Medic.* 26. 38

Albinus (*Mich. Bernard.*) *ex aula Berolinenſi ad Academiam Lugd. Batau. tranſit* 157

Altorfinae *Vniuerſit. Inauguratio.* 70

-- -- *Saecularia Sacra.* 169

Altorfium *a deuaſtatione ſeruatũ.* 70

Anagrammatum *exempla notabilia* 89. 91. 102

Anatomici *Theatri Altorfini exaedificatio.* 101

Aphoriſmi *Hippocr. a Brunone Commentariis illuſtrati.* 127

Apinvs (*Io. Ludou.*) *inter Profeſſores Med. Altorf. breuiſſime omnium uixit.* 141. *Corrector in Typograph. Altorf.* 142. *Hersbruccenſium Poliater.* 143. *in Profeſſione medica ſuccedit Mauric. Hoffmanno.* 144 *ſcripta eius.* 146

Ariſtotelis *cum Galeno comparatio.* 48

Ariſtotelomaſtix *fuit Taurellus.* 8

Aulicae *uitae deſcriptio.* 168

B.

Baiervs (*Io. Iac.*) *a natiuitate imbecillus.* 148. *recipitur in Colleg. Med. Norimb.* 161. *Noſocomio caſtrenſi totius Circ. Franconici praeficitur.* 162. *Ratisbonam concedit, medicinae faciendae cauſa.* 164. *reuocatur Altorfium ad Profeſſ. Med.* 165. *foſſilia Norica ſtudioſe indagat.* 166. *fit Poliater Altorfinus.* 168 *Rector in primo Acad. Altorf. feſto ſaeculari.* 169. *primam medic. cathedram occupat.* ibid. *Iubilaeum Horti medici celebrat.* ibid. *ſcripta illius.* 170. ſq.

Baierus (*Io. Guil.*) *Pater, primus Rector Acad. Frideric. Halenſis.* 151

Berolinenſis *Aulae maieſtas.* 156. *Bibliothecae amplitudo.* ibid. *Technophyſiotamei et Antiquitatum theſauri praeſtantia.* 157

Bibliotheca *Iungermanni in publicam tranſit.* 90

Bohemus (*Mart.*) *Patricius Norimb. Noui orbis inuentor.* 98

Brvno (*Iac. Pancrat.*) *in Collegio Medic. Norimb. uixit.* 119. *Curiae Variſcorum medicinam exercuit.* ib. *vocatur Altorfium ſucceſſor Nicolai.* 120. *fit Profeſſor Med. primarius et Poliater.* ib. *ſcripta eius.* 125. ſq.

C.

Cadmia *foſſilis.* 159

Caeſalpinus (*Andr.*) *a Taurello refutatus.* 7. 13

Calculi *ueſicae felleae et urinariae notabiles.* 158

Calen-

Calendariorum *correctio et conciliatio.* 153. *differentiae incommodum ſingulare.* 155
Caſcarilla, *uid. Schacarilla.*
Catalogus *Plantarum Altorf. accuratiſſimus.* 103
Celſi (*A. C.*) *noua editio promiſſa.* 176
Chalcanthi *natiui ſpecies.* 159
Chimiae *in Acad. Altorf. introductio.* 132
Chimicum *Laboratorium Altorfinum.* ibid.
Circulatio *ſanguinis, uid. Sanguinis circulatio.*
Collegii *Med. Norimb. elogium.* 161
Comites *illuſtr. Medicinae Profeſſores.* 130
Cultriuori *Pruſſici hiſtoria.* 156

D.

Dantiſcan** *Ciuitatis elogium.* 156
Dietericus (*Heluicus*) *ante Harueum obſeruauit circulationem ſanguinis.* 48. 49
Diſputationum *Inaugural. Altorf. conditio.* 174
Ductus *pancreaticus, uid. Pancr.*

E.

Epitaphium *Maurit. Hoffmanni.* 102
- - *Georg. Noeßleri.* 77
Eyſtettenſis *horti autor Iungermannus.* 83

F.

Faba *S. Ignatii.* 157
Febris *epidemicae accurata hiſtoria.* 143
Fernelius (*Io.*) *a C. Hofmanno reprobatus.* 51. ſq.
Foſſilia *Norica inquiſita et deſcripta.* 166
Fridrichſtadium, *uariarum religionum hoſpitium.* 153

G.

Galeni *cum Ariſtotele comparatio.* 48
Galeni *opera a Caſp. Hoffmanno perpolita.* 62. ſq.
Gedanenſis *Vrbis elogium.* 156

H.

Halenſis *Academiae Fridericianae Inauguratio.* 151
Harueus (*Guil.*) *uenit Altorfium, Caſpari Hofmanni uidendi cauſa; cui de ueritate circulationis ſanguinis necquicquam perſuadet.* 43
HEISTERVS (*Laurent.*) *ad Anatom. et Chirurg. profeſſionem Altorfium uocatur.* 177. *in Academiam Iuliam Helmeſtadium migrat.* ibid. *uita ipſius a Leporino pleniſſime deſcripta.* ibid.
Hippocratis *Aphoriſmi commentariis illuſtrati.* 127
HOFMANNVS (*Caſpar*) *humilem ortum habuit.* 37. *Norimbergam ſibi fauentem inuenit.* 38. 39. *Altorfium mittitur graſſante peſte.* 39. *in Profeſſione Med. Taurello ſuccedit.* 39 *libere philoſophatur ac docet.* 41 *per omnem Europam cultiorem celebratur.* 43. *a Patauinis depoſcitur ad primam Medic. cathedram.* 44 *controuerſias multas habuit.* 50. ſq.

 ueri-

ueritatis defenſor acerrimus. ibid. *elogium eius a Th. Bartholino ſcriptum.* 53. *opera quae edidit.* 54. ſq. *de Galeno ac Theophraſto immortaliter meritus.* 60. ſq.

Hofmannus (*Caſp.*) *Leoberg. Sileſ. cum noſtro, Gothano, confunditur.* 57

HOFFMANNVS (*Mauritius*) *miſere traduxit adoleſcentiam ſuam.* 94. *ab auunculo Noeßlero ſuſcipitur.* 95 *ductum pancreaticum inuenit.* 98 *Caſp. Hofmanno in Profeſſione Med. ſuccedit.* 100. *Iungermanno in Botanica.* ibid. *theatrum Anatomicum condidit atque exornauit.* 101 *hortum Medicum amplificauit.* 102 *autor ſocietatis Philiatrorum.* 103 *ſcripta eius.* 109

HOFFMANNVS (*Io. Maur.*) *Anatom. profeſſionem a Parente traditam accipit.* 131. *primus Chimiae Profeſſor Altorfinus.* 132. *ſuccedit Parenti in prima cathedra et praefectura horti Med.* 134. *fit Director Ephemeridum A. N. C.* ibid. *Altorfio relicto migrat Onoldum.* 136 *dexteritas eius Anatomica.* 137 *ſcripta.* ibid. et ſq.

Horti *Med. Altorfini origo.* 85. *amplificatio.* 102. *ſaecularis memoria celebrata.* 169

Hortus *Eyſtettenſis a Iungermanno concinnatus.* 83

I.

IANTKE (*Io. Iac.*) *Medicinam exercet in patria ſua.* 180. *fit Profeſſor Med, extraordinarius, mox etiam ordinarius.* ibid. *ſcripta eius.* 181

Inſcriptio *Theatri Anatom. Altorf.* 101 *Laboratorii Chimici Altorf.* 132

Inſtitutionum *medicinalium caſtigatio.* 51. 121

Iubilaeum *primum Academiae Altorf.* 169. *Horti Med.* ibid.

IVNGERMANNVS (*Ludou.*) *praeclaris parentibus genitus.* 80. *ab adoleſcentia deditus rei herbariae.* ibid. *Gieſſae fungitur Botanici officio.* 81. *Noribergam ad horti Eyſtettenſis conſtructionem uocatur.* ib. *uerus autor eſt illius horti.* 82. *profeſſionem publicam Gieſſae ſuſcipit.* 84. *Altorfi hortum Med. inſtaurat.* 85. *caelibem uitam traduxit.* 88. *poeta promptus et felix.* 89. *aetate ſuperauit omnes Profeſſores Altorfinos.* 90. *libros ſuos Bibliothecae Acad. legauit.* ibid. *ſcripta eius.* 91. ſq.

L.

Laboratorium *Chimicum Altorfinum.* 132

Libauius (*Andr.*) *confutat Ramiſtas.* 20

Lubecenſis *Ciuitatis Imperial. encomium.* 154

Luneburgici *ſalis praeſtantia.* 152

M.

Maſſaria (*Alexander*) *maluit cum Galeno errare quam cum aliis ſapere.* 49

Medice *uiuere, eſt optime uiuere.* 45

Medici

Medici *Altorſini plerique longaeui.* 141
Medici *poetae Altorſini.* 3.57.72.89
Medici *qui propriam uitam deſcri-pſerunt.* 147. ſeq.
Metalli fodinae *in ſuperiori Hercy-nia.* 159
Miſy *uerum Antiquorum.* 159

N.

NICOLAI (*Chriſtoph.*) *in Collegio Med. Nor. vixit.* 113. *ſuccedit Iungermanno.* ibid. *ſcripta perpauca.*
NOESLERVS (*Georg.*) *claro loco progenitus.* 66. *praecoci ingenio praeditus.* 67. *Nationi Germanicae, Patauii Muſis operam danti, nouum priuilegium impetrat.* 68. *Profeſſor Med. et Phyſic. Altorfii conſtituitur.* 69. *multa ſcribere cur noluerit.* ibid. *autoritate ſua tuetur Altorfium a uaſtatione.* 70. *primus Vniuerſitatis Altorf. Rector.* 71. *captiuus abducitur.* ibid. *a captiuitate ditior reuertitur.* 73. *filium reliquit degenerem.* 74. *ſcripta eius.* 78
Norimbergenſis *Collegii Med. laudes.* 161

O.

Oryctographia *Norica.* 166. ſeq.

P.

Pancreaticus *ductus, a Maur. Hoſſmanno inuentus.* 98
Pernauienſis *Academia.* 155
Peſtis *graſſatur Altorfii.* 10.39
Poetae *Medici Altorſini.* 3.57.72.89
Priuilegium *nouum Germanis Euangelicis Patauii impetratum.* 68

R.

Ramiſtae *Scherbio, Peripatetico, infenſi.* 20. *refutati.* ibid.
Ratisbonenſis *Reip. Senatus benignitas.* 164
Regiomontana *Academia.* 156

S.

Saecularia *Sacra Academiae Altorfinae.* 169
Salinae *Luneburgenſes.* 152
Sanguinis *circulatio non admittitur a Caſp. Hofmanno.* 43. 50. *ante Harueum obſeruata ab Heluico Dieterico.* 48. 49
Schacarillae, *ſeu Caſcarillae corticis uirtus declarata.* 143
SCHERBIVS (*Philippus*) *ſubtilis et elegans Philoſophus.* 16. 18. *iocabundus et facetus.* 19. *a Ramiſtis inuaditur.* 20. *filium degenerem habuit.* 17. *ſcripta illius.* 21. ſq.
SCHVLZE (*Io. Henr.*) *in Graecis literis eſt fere* αὐτοδίδακτος. 183. *Arabicam linguam feliciter addiſcit.* 185. *docet in paedagogio Regio Halenſi.* 187. *Plutarchi uitas parall. in uernaculam linguam conuertit, notisque illuſtrat.* 191. *Altorfium uocatur in locum Heiſteri.* ibid. *ſcripta eius.* 192. ſq.

Societas

Societas *Philiatrorum Altorfi fundata.* 103

Somni *meridiani commendatio.* 45

SONERVS (*Erneſtus*) *ob eruditionem ſingularem apud Belgas eſt in admiratione.* 27. *Norimbergae medicinam feliciter fecit.* 29. *ſuccedit Scherbio in utraque cathedra.* ibid. *Socinianorum haereſi addictus creditur.* 30. ſq. *uindicatur ab iſto opprobrio.* 32. ſq. *ſcripta eius edita.* 33. ſq. *ſuſpecta et damnata.* 35

Sory *uerum antiquorum.* 159

Stipendium *Aicholzianum pro Studioſis Medicinae.* 26. 38

Succini *Pruſſici apparatus et hiſtoria.* 156

T.

TAVRELLVS (*Nicol.*) *primus in Acad. Altorf. Profeſſor Medicinae.* 1. *Ariſtotelis errores impugnauit.* 4. 6. 8. *Atheis accenſetur.* 5. *uindicatur ab hoc opprobrio.* 6. 7. *peſte extinguitur.* 10. *ſcripta illius.* 11. ſq.

Theatrum *Anatomicum Altorfinum, uid. Anatom. theat.*

Theophraſti *Ereſii opera botanica, a Caſp. Hofmanno emendata, et cum Latina uerſione noua, in lucem edenda.* 60. 65

Thomaſius (*Godofredus*) *Galeni et Theophraſti opera, a C. Hofmanno* perpolita, hodie poſſidet. 65

V.

Vitam *propriam qui deſcripſerunt Medici.* 147

Volckamerus (*Io. Georg.*) *Senior, Galenum nouae editioni a Caſp. Hofmanno paratum redemit.* 61. 63